



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Capvt IV. De particularibus Regularium privilegiis in Ordine ad seipsos, &  
ad sæculares.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

## CAPVT IV.

De particularibus Regularium privilegiis in Ordine ad seipfos,  
& ad saculares.

**P**OSTQUAM egimus cap. precedenti, de particularibus privilegiis ex parte materię, quę licet sint privilegia communia; tamen sunt de materiis determinatis; nunc agendum venit de particularibus privilegiis ex parte personę, quę nimirum non omnibus, sed aliquibus competunt particularibus, & tamen non ob id desunt esse privilegia realia, & sunt personalia, quia non loquimur de privilegiis particularibus convenientibus ratione personarum; sed ratione munerum, aut officiorum, ut de illis, quę conveniunt Pręlatis, Prędicatoribus, Confessoribus, &c. De his ergo *in presenti cap. agimus*, Quod continet quatuor puncta.

**PUNCT. I.** De potestate, quam habens Pręlatis Regulares ad absolvendam, & dispensandum ex jure Ordina-

rio, & privilegiis, n. 1.

§. I. De facultate absolvendi à casibus reservatis Pręlatis religionum conveniente remissivè. ibidem.

§. II. An ignorantia excuset à reservatione incurrenda? n. 9.

§. III. Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censure excuset à reservatione? n. 14.

§. IV. De facultate Pręlatorum ad dispensandum in irregularitatibus remissivè? n. 24.

§. V. Qualiter Pręlatis cum suis subditis in legibus, & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare remissivè. n. 30.

**PUNCT. II.** De Privilegiis Regularium in ordine ad audiendas confessiones suorum religiosorum, aliorum, & secularium, n. 40.

§. I. Quod regulares, suis non obstantibus privilegiis, tenentur, ab Episcopis approbationem habere, ut validè, & licitè possint audire confessiones secularium, n. 41.

§. II. De illis, qui possunt sibi confessarium eligere ab Episcopo non approbatum, n. 49.

Z z z

§. III.

- §. III. Possitne Episcopus cum limitatione Regulares approbare? vel, illis idoneis reperitis, approbationem non imperitari? n. 60.
- §. IV. An Regularis pro una diocesi approbatus, ad audiendas in aliis secularium confessiones, nova indigeat approbatione? n. 71.
- §. V. An Regulares semel ab Episcopo approbati, possint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentia suspendi, donec iterum presententur, & approbentur? n. 79.
- §. VI. Qualiter unius Ordinis Religiosi possint extraneis, sive Religiosi sint sive seculares, confiteri: n. 89.
- §. VII. An possint regulares uti privilegio Bulla Cruciatæ ad eligendum confessorum extra suam Religionem? n. 95.
- §. VIII. De Privilegiis Confessorum Regularium, in ordine ad absolvendum proprios religiosos, à casibus reservatis, n. 107.
- §. IX. De facultate, quam habent Confessarii regulares dispensandi super votis, & irregularitatibus suorum Religiosorum, n. 113.
- §. X. A quibus casibus, & censuris reservatis possint Regulares Confessarii seculares absolvere? n. 117.
- §. XI. Possintne modo Regulares confessarii à casibus, & Censuris Bulla Cornæ occultis secularibus absolvere? n. 124.

§. XII. In quibus irregularitatibus, & penis possint Religiosi cum secularibus dispensare? n. 132.

PUNCT III. De Privilegio regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & n. issa celebrationem: remissive n. 140.

PUNCT IV. De Privilegiis, & obligationibus Concinatorum regularium, n. 141.

PUNCTUM I.

De potestate, quam habent Prelati regulares ad absolvendum, ex jure ordinario, & privilegio:

PLURA, quæ à nobis in hoc puncto agenda erant, in diversis locis hujus operis, jam examinavimus secundum quod materia ipsæ postulabant: ob idque illa de novo in præsentiarum discutere, erit actum agere, & ne de aliis, quæ alibi non sunt, attracta sermonem faciamus, impedire. Vel certe volumina multiplicanda forent, quod plures faciunt, iterum atque iterum eandem rem discutientes. Sed ne materia, quæ hujus loci tam propria est, relinquatur intacta, propter illa, quæ in aliis locis stabilita reliquimus brevi calamo, in præsentem eandem percurreremus quid tenendum sit in singulis punctis statuentes, & ad locum, in quo de illis actum est, Lectorem remittentes.

## §. I.

*De facultate absolvendi à casibus, & censuris Prælati religionum conveniente remissive.*

Qui veniant  
niant  
nomine  
Prælato-  
rum, &  
quis ju-  
risdictio-  
nem spi-  
ritua-  
lem, &  
tempo-  
ralem  
admini-  
stratio-  
nem ha-  
beant.

**C**ertissimum est in religionibus Prælatos, & Superiores reperiri, qui illas regant, dirigant, & gubernent. Quia secundum illud Salomonis dictum Prov. 11. *Ubi non est gubernator, populus corrumpit.* Et horum aliqui sunt Prælati Superiores, ut Generales, Provinciales, &c. Alij inferiores, qui dicuntur immediati Prælati, qui præsentim immediatè, & proximè in Monasteriis, ut Priores, Guardiani, Rectores, &c. & quicumque alio nomine nuncupati. Et omnes isti non solum habent in subditos suos dominativam potestatem, qualem habet pater familias in subditos, sed etiam potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ, qua possunt ligare, & solvere, & sic præcepta, & censuras ponere, & ab eis, atque à peccatis, & aliis pœnis, vel obligationibus subditos suo absolvere. Unde tam Generales, quam Provinciales, nec non & Priores habent jurisdictionem quasi Episcopalem, in sibi subditos, ut sumitur ex c. *Abbatu. de Priv. in 6.* & docent communiter Doctores; & merito. Quia postquam religiosi exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, loco illorum succedunt prælati, cum illa jurisdictione, quam habebant Episcopi erga illos. Cum ergo omnes supradicti sint veri prælati jurisdictione ordinaria fungentes, quoties in præsentia de potestate, aut privile-

giis prælati convenientibus egerimus; intelligendum est de omnibus supradictis respectivè ad suos subditos, nisi aliud exprimat. Et quod de istis dictum fuerit, intelligendum est de eorum Vicariis: quia omnem potestatem, & jurisdictionem, quam habet Generalis, habet illius Vicarius, qui in ejus locum succedit; & idem est de Vicario Provincialis, & de Vicariis, seu præsentibus domorum, quando in tali monasterio non habent alium Superiorem; omnes enim isti sunt vere Prælati, & jurisdictione ordinaria funguntur; non vero Superiores, vel illi, qui ut coadjutores Prælatorum, & domorum eliguntur, nisi quando in domibus præsentibus prioribus per diem naturalem; quia tunc tam ipsi, quam alij præsentibus monasterio habent eandem potestatem commuandi, dispensandi, vel irritandi vota, absolvendi à reservatis, dispensandi super irregularitatibus, legibus, & cetera faciendi, quæ Prælati si præsentibus esset, facere poterat: quia sicut eis committitur gubernatio talis monasterij, & administratio illius temporalis; sic etiam jurisdictio spiritualis, quam habebat ille, in cujus locum succedunt, & cujus vices gerunt. Hæc obvia, & communia apud authores reperies; & ob id ab eorum citatione abstinuimus. Vide Lezanam to. 1. c. 18. à n. 1. Suarez to. 4. de rel. tr. 8. l. 2. c. 1. 2. & 13. & 22. Rodr. qq. reg. qu. 17. art. 6. & qu. 20. art. 2. & 3. Navarr. comm. 2. de reg. à n. 63. & com. 3. à n. 40. Jo. à Cruce l. 1. c. 6. dub. 6. Ant. à Spir. S. tr. 2. disp. 1. sect. 1. à n. 4.

4. Peyrin. tom. 2. de Prælat. quæst. 1. cap. 4. §. 4. n. 74. Delbene tom. 2. cap. 1 §. dub. 7. à num. 34.

2. Cum ergo omnes Prælati habeant quasi Episcopalem jurisdictionem respectu subditorum, ab omnibus casibus, & censuris possunt suos subditos absolvere, à quibus Episcopi possunt respectu suorum inferiorum, ut late probavimus tom. 2. tract. 10. de Censur. punct. 6. à num. 72. & præter citatos docent Lezana tom. 1. cap. 8. num. 31. Fragoso tom. 2. lib. 11. disp. 24. §. 14. num. 13. Candidus tom. 1. disp. 3. art. 2. dub. 2. distinct. 3. Magister Hinojosa in direct. disquisit. regular. verbo absolutio num. 1. Magister Donatus 1. p. praxi tract. 13. quæst. 17. num. 25. Quot autem, & quales sint casus, & censuræ, à quibus possunt Episcopi suos subditos absolvere, loco citato late diximus punct. 5 per totum. Unde possunt Prælati regulares ab omnibus casibus, & censuris, quæ Papæ non sunt reservatæ, & etiam à censuris ab homine latis, etiam specialibus, & per sententiam specialem publicè declaratum, subditos absolvere, uti ex privilegiis Pauli V. Sixti IV. & Eugenij IV. docent Pellizzar. tract. 9. cap. 3. sect. 5. num. 202. Lezana num. 37. Fragoso n. 31. Candid. tom. 2. disquisit. 24. art. 41. dub. 10. Possunt etiam absolvere suos subditos ab omnibus casibus, & censuris Apostolicæ sedis reservatis, exceptis his, quæ in bulla cœnæ continentur, uti ex privilegio Sixti IV. & Gregorii XIII. diximus n. 70. Etiam possunt ab illis casibus, & censuris, quæ continentur in Bulla Cœnæ, hæresi excepta, ut late proba-

vimus num. 76. Sed licet plures aucthores, quos num. 75. dedimus, etiam ab hæresi occulta posse dictos Prælatos absolvere dicant, oppositum tenendum est, ut n. 76. diximus. Etiam possunt Provinciales, Priores conventus, illorumque Vicarii in eorum absentia absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob percussione gravem, etiam publicam, vel alterius religiosi, vel etiam clerici sæcularis, ut ibi n. 69. ex privilegiis Bonifacij IV. & Clementis VIII. probavimus, pluribus citatis auctoribus.

3. Et si peras an possint prælati (& A quibus casibus censuris) suos subditos, vel sæculares absolvere à casibus, vel censuris, quas Episcopi sibi in specie reservent? Hanc difficultatem tetigimus tract. 10. de Censuris, c. 2. n. 40. & 70. & in utroque loco partem affirmativam cum pluribus auctoribus probavimus. Sed eam libuit iterum ad examen reducere propter novas difficultates in præsentiarum occurrentes. Et non est difficultas respectu religiosorum subditorum; quia cum respectu istorum habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ab his casibus, à quibus possunt Episcopi suos subditos, possunt & Prælati suos religiosos absolvere: maxime quia respectu religiosorum non sunt reservati. Quia cum reserventur ab Episcopo solum respectu inferiorum Episcopi obtinent reservationem. Unde si forte religiosi in casum aliquem ab Episcopo specificè reservatum incidant; à quolibet Conf-

fessario possunt ab eo absolvi, à quo  
 possunt à cæteris non reservatis, quia  
 respectu Religiosi verè non erat re-  
 servatus. ¶ Et iam supponimus posse  
 Prælatos, & reliquos confessores Re-  
 gulares absolvere sæculares à censuris  
 latis ab Episcopis per sententiam ge-  
 neralem, si reservata non sint, ut di-  
 ximus *tract. 10. de Censur. cap. 2. nu.*  
*31.* quia tales censentur esse à jure.  
 Undè sicut ab omnibus censuris à ju-  
 re latis, si non sint reservata, possunt  
 omnes confessores absolvere, qui  
 possunt absolvere à peccatis mortali-  
 bus, ut latè ibidem probavimus *num.*  
*44.* De censuris verò ab Episcopo  
 latis per modum sententiæ specialis,  
 quæ non sunt specificè reservata, jam  
 diximus ibi *num. 50.* Qualiter possint  
 ab eis absolvere confessores ordina-  
 rii. Etiam posse ab omnibus casibus  
 reservatis in jure Episcopis Regula-  
 res confessores absolvere sæculares,  
 compertum est, ut diximus *tract. 6.*  
*de penitentia. cap. 13. num. 25.* Quia  
 in decretis infra allegandis, solùm ca-  
 sus ab Episcopis specialiter reservati  
 excipiuntur: ergò qui à jure reservan-  
 tur Episcopis, non manent exclusi;  
 sed juri communi, seu privilegiorum  
 dispositioni relinquuntur: secundùm  
 quæ possunt Regulares ab omnibus  
 casibus, & censuris, quæ non sunt  
 Papæ reservata, absolvere. Sic præ-  
 ter Authores ibi citatos Diana *3. par.*  
*10. tract. 2. resolut. 13. §. Nota.* Aver-  
 sa *part. 8. tract. 7. resolut. 71.* Donatus  
*in additionib. ad Praxim. tom. 4. tract.*  
*4. quest. 30. nu. 3.* Ludovicus à Cru-  
 ce *in Expositione Bullæ Cruciatæ, di-*  
*sp. 1. cap. 3. dub. 5.* Cespedes *de Ex-*

*emptionib. cap. 6. dub. 112.* Lezana  
*1. p. summ. cap. 19. num. 16.* & *tom. 3.*  
*verbo, Casu. num. 5.* & omnes, qui di-  
 cunt omnes casus, & censuras occul-  
 tas non esse Papales, quia in Trident.  
*sess. 24. cap. 6.* ab Episcopis relaxari  
 possunt: ob idque posse Regulares, &  
 virtute Cruciatæ toties quoties ab-  
 solvi, ut tenent Sanchez, Trullenchi,  
 Diana, Leander, Mendus, quos *tract.*  
*10. de censur. cap. 2. num. 87.* adduxi-  
 mus. Et insuper Magister Acacius de  
 Velasco *tom. 1. resolut. moral. verbo,*  
*Absolutio. resolut. 5. & 7.* Matthæus  
 de Moya *selectar. quest. tract. 3. dispur.*  
*8. quest. 6. num. 16.* & triginta Au-  
 thores, quos refert, & sequitur Tho-  
 mas Hurtado *tom. 1. resolut. moral.*  
*tract. 5. cap. 4. resolut. 17. §. 2. & tom. 2.*  
*tract. 12. cap. 1. nu. 1036.*

4. Quæ in præsentì solùm est  
 difficultas de casibus, quos sibi Epi-  
 scopi specificè reservant: De quibus  
 plures, & graves Authores dicunt  
 posse Regulares confessarios absol-  
 vere sæculares; illos verò Authores  
 dedimus *tract. 10. de censuris, cap. 2.*  
*num. 39. & 70.* Et præter illos te-  
 nent hoc ipsùm Leander *tom. 4. tract.*  
*2. dispur. 17. quest. 79.* Thomas Hur-  
 tado *tom. 1. resolut. moral. tract. 5. cap.*  
*4. resolut. 16. num. 127.* Acacius de  
 Velasco, *supr. resolut. 8.* Mendo *in*  
*Bullam disp. 27. cap. 4.* Bruno *par. 1.*  
*tract. 5. cap. 2. proposit. 2.* Quintana-  
 vennas *tom. 1. singular. tract. 3. singu-*  
*lar. 14.* Rodriguez *tom. 1. quest. 66.*  
*art. 2.* & probant tum ex jure com-  
 muni in Clementina Dudum, & Ex-  
 travaganti, Inter cunctas: ubi privile-  
 gium Regularium ad absolvendum

Posse  
 Regula-  
 res à ca-  
 bus, quos  
 sibi Epi-  
 scopi in  
 specie  
 reservat,  
 absolve-  
 re, aliqui  
 dicunt.

à casibus Episcopis reservatis insertum esse in corpore juris, docet cum D. Antonino, Taberna, & Armilla, Rodriguez *loco citato*. Tum etiam, ex alijs privilegijs, quæ nos adduximus *tom. 1. tractat. 6. de pœnitentia, cap. 13. num. 24.* ¶ Et dicunt non esse contra hoc, decretum Congregationis Cardinalium sub Urbano VIII. die 17. Novembr. anno 1628. in quo omnia revocantur privilegia Regularium ad absolvendum à casibus, vel censuris, quæ sibi Episcopi specialiter reservant: ob quod decretum nos *loco citato* de pœnitentia numero 24, ab hac sententia recessimus.

Non esse  
contra  
dicta de-  
cretum  
Urbani  
VIII  
prædicti  
Autho-  
res sen-  
tiunt,

¶ Tum etiam: quia plura ex privilegijs, in quibus nititur hæc sententia, inserta sunt in corpore juris, ut diximus, nisi specificè exprimantur, ut diximus *cap. 2. hujus tractatus, numero 40.* Cum ergò in revocatione dicti decreti jus commune non exprimitur, privilegium antiquum in suo robore manebit. ¶ Tum etiam: quia declarationes Cardinalium, etsi magnam auctoritatem habeant, maxime quando à Pontifice sunt approbata, & confirmata, ut est ista, de qua loquimur, vim non habent nisi tantum opinionis probabilis, ita ut non ollat probabilitatem oppositæ sententiæ. Unde inquit Magister Acacius de Velasco, Episcopus Oriolensis, *loco citato, numero 40.* [Siento que no tiene fuerza de ley, ni que es necesario el seguirlas, sino que podrá seguir libremente lo contrario el que tubiere bastante fundamento para hazerlo. Y con el podrá

seguramente apartarse de la declaracion de los Eminentissimos Señores Cardenales, arriba referida.] Et de ista sub Urbano VIII. de qua modo loquimur, & postea de isto decreto Congregationis de mandato Urbani VIII. edito, & approbato, *num. 6. in fine*, hæc ait: [Y se ha de advertir, que la confirmacion Pontificia deste, y de los demas decretos, no es de a la declaracion de los Eminentissimos Cardenales, mas que confirmarsu probabilidad.] Idem habet Bruno Cassaing *loco citato*. Quibus consentit Delgadillo, *tom. de Pœnitent, cap. 21. dub. 21.* dicens præfatam declarationem jussu Urbani VIII. editam, & alias hoc modo à Pontifice approbatas, [esse magnæ auctoritatis; non tamen sufficere ad tollendam probabilitatem sententiæ, quam tot gravissimi Auctores docent.] Sed circa hoc videantur à nobis dicta *lib. 3. tract. 11. de legib. cap. 3. à nu. 28.* ¶ Tum denique: quia prædicta declaratio Sacræ Congregationis, & decretum in ea contentum non fuit saltem in Hispania promulgatum, nec Regularibus sufficienter intimatum; ita ut possit eorum privilegia revocare, quibus poterant ab Episcopis reservatis absolvere, ut docent Thomas Hurtado, *num. 127.* Leandro *quest. 7. §. tertio probo.* Velasco *resolut. 8. num. 3.* Mendo in *Cruciat, disputat. 23. cap. 4.* Ut autem hujusmodi decreta obligent, requiruntur ut in singulis Diœcesibus, & Provinciis promulgentur, tradunt Doctores, quos *tom. 3. tract. 11. de legibus, capite 1. numero 84.* dedimus. Et tenent Medina,

Medina, Sotus, Victorellus, Angelus, Molina, quos refert, & sequitur Diana 1. parte tract. 10. resolut. 8. Trullench. in Cruciat. lib. 1. §. 7. dub. 9. num. 20. Quintanadvennas tom. 1. singular. tract. 3. singular. 15. num. 3. & probabile putant Layman, Becan. Lessius, Vazquez, & Ganad. apud Dianam loco citato, & ipsemet Diana part. 7. tract. 10. resolut. 29. affert privilegium Gregorii XIII. in Bulla: *Aequum reputamus*, qua concedit Societati, ut nullius privilegii revocatio eis præjudicet, nisi sit illis intimata per trinas distinctas litteras eundem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus. Videantur à nobis dicta cap. 2. hujus tractatus à num. 54.

Decretum Alexandri VII. stat in oppositum, & illud de-clarat.

6. Propter hæc, hanc opinionem esse valde probabilem, asseruimus, eamque ut talem sequuti sumus tom. 2. tract. 10. de Censuris, cap. 2. num. 40. & 81. nisi obstaret novissimum decretum Alexandri VII. die 24. Septemb. anno 1665. damnans ut scandalosam hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentis eorum ad id facultate.* Et non loquitur Pontifex de casibus à jure reservatis Episcopis, sed de reservatis ab homine, seu de illis, quos Episcopi sibi specificè reservant: quia solum ut scandalosam damnat opinionem, cui innixi Regulares, non obstantibus decretis Clementis VIII. pro Italia, & Urbani VIII. adhuc privilegiorum prætextu à casibus, quos Episcopi sibi reservant, absolvebant.

Nec etiam in dicto decreto Alexandri VII. tollitur, quod confessores electi virtute Bullæ Cruciatæ possint absolvere à casibus etiam ab Episcopis reservatis, secundum ea, quæ diximus loco citato de Censuris, num. 92. Quia in isto decreto, in nullo vult Pontifex Bullæ Cruciatæ præjudicare, in qua conceditur, quod de casibus Pontifici reservatis semel in vita, & semel in morte, & de aliis quomodolibet à jure, vel ab homine reservatis, toties, quoties confessarius electus possit absolvere: quia solum ad Mendicantes dicta prohibitio dirigitur, qui prætextu privilegiorum id posse affirmabant. Nec in ea mentio aliqua privilegii Bullæ Cruciatæ invenitur, prout par est, ut indulta quotannis in ea concessa, revocarentur. Maxime, quia privilegia Bullæ Cruciatæ conceduntur per modum contractus, quæ revocari nequeunt modo communi; sed ex gravissima causa concernente bonum commune, & satisfactâ parte, prout diximus hoc tract. 6. 2. n. 30.

7. Sed quia per prædictum Alexandri VII. decretum illæ, & aliæ usque ad 45. propositiones ut scandalosa prohibentur, multoties ab aliquibus dubitatum, quâ vim obligandi habeat saltem in Hispania. Et ratio dubitandi illorum erat, quia in Hispania authenticè promulgatum non est, nec Regularibus intimatum, prout necessarium erat, ut eorum privilegia revocaret. Unde sicut lex Pontificia non obligat, nisi sit sufficienter, & authenticè promulgata;

Objectiones contra decretum Alexandri VII. diluuntur.



gata, ad quam promulgationem secundum probabilem multorum sententiam requiritur, quod in singulis provinciis, & diocesis publice: ut, quos dedimus *tract. 1. de legib. cap. 1. num. 8.* ita neque istud decretum Sacrae Congregationis à Pontifice approbatum obligabit, nisi dicto modo publicetur: quod in pluribus diocesis factum esse audivimus; in aliis verò ignoramus: quod proinde non obligavit maximè in quantum est revocatorium privilegiorum Regularium, quod, ut diximus *hoc tract. cap. 2. à num. 45.* deberet privilegiatis notificari.

Refellitur su-  
pradicta  
evasio-  
nes con-  
tra de-  
cretum  
Alexan-  
dri, VII.

8. Sed contra hoc stat, quòd hic discursus falso nititur fundamento: quia, ut diximus *loco citato de legibus, num. 86.* ut leges Pontificiae obligent, non requiritur promulgatio in singulis provinciis, & diocesis; sed sufficit quòd ex mandato Sanctissimi ad Valvas D. Petri affigantur. § Deinde, licet ut revocatio privilegiorum quasi ab homine facta petat, quòd nominatim privilegiato intimetur modo, quo diximus *hoc tract. cap. 2. num. 47.* at revocatio generalis facta à jure per legem, vel decretum generale à Principe sancitum, aliam non petit publicationem, aut intimationem, quam illam petit lex ut obligationem pariat, ut ibi *num. 46.* declaravimus. Undè cum dictum decretum S. Congregationis ab Alexandro VII. approbatum sit per

modum legis, omnia in oppositum privilegia revocantis; non petit aliam publicationem, aut intimationem, quam lex ipsa Pontificia exigeret, § Denique: quia licet dictum decretum Alexandri VII. ut prohibet quòd contraria opinio doceatur, aut practiceur, nequiret vim legis obtinere in singulis provinciis, nisi in eis, & singulis earum diocesis promulgaretur, prout de aliis legibus Pontificiis docent plures Doctores, ut diximus. Nihilominus ut est declaratio Pontificis in materia doctrinae ad mores spectantis, & qualificatio, aut censura propositionum, quae ut scandalosae, temerariae, vel erroneae condemnantur, & ut talis locum ubique terrarum habeat, & omnes obliget, sufficit, quòd undecumque certa moraliter notitia dicti decreti Pontificis habeatur; ita, ut nulli liceat dubitare talem esse propositionem, qualis damnatur à Pontifice. Quemadmodum si Pontifex propositionem ut haereticam annotaret, ut omnes obligaret talis declaratio, sufficeret quòd ad illorum notitiam talis censura quomodolibet perveniret; etiam si publicationem ad legem requisitam non haberet. Idem ergo dicendum est, cum à Pontifice ut scandalosae, erroneae, aut temerariae aliquae propositiones censurantur: quod fecit Alexander VII. de 45. propositionibus, quae in illo decreto continentur.

## S. I I.

An ignorantia excuset à reservatione incurrenda?

9. **D**ubium hoc hic obiter excitamus, ubi de casibus, & censuris reservatis loquimur: quia pro praxi valde necessarium duximus. Quæritur ergo, an qui ignoret aliquem casum, aut censuram esse reservatam, illius reservationem incurreret, ita ut solum à Prælato, vel ab habente facultatem dispensandi in casibus reservatis posset absolvi? Pro resolutione primò supponendum est, ignorantiam censuræ reservatæ posse haberi dupliciter. Primò, si ignoretur esse censuram tali, vel tali crimini annexam. Secundò, si cum scientia censuræ detur ignorantia illius reservationis. Ignorantia primo modo etiam si culpabilis sit, omninò liberat à reservatione: immò & à censura ipsa incurrenda; ut si scias ingressum in monasterium Monialium esse lege Ecclesiasticâ prohibitum, ignoras verò tali culpæ annexam esse censuram, & si ingreditaris, & peccas contra legem, eris à censura immunis, uti ex communi sententia diximus tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 1. num. 193. Undè fit in hoc casu peccatum illud, cui erat annexa prædicta censura, non manere reservatum: quia vel peccatum ratione censuræ annexæ reservatur, & sic tantum censura est, quæ reservatur, non verò peccatum, ut voluit Durandus, & Cajetanus apud

Suarez disp. 29. sect. 2. nu. 8. & tenent expressè Trullench. in Praxi Sacrament. lib. 4. cap. 10. dub. 2. Antonius à Spiritu sancto tom. 1. Direct. Confess. num. 5. disp. 14. num. 950. Vel cerè si tam peccatum, quàm censura reservata sunt immediatè, semper ratione censuræ peccatum ipsam reservatur, ut in casibus Summo Pontifici reservatis docent Suarez loco citato. Sanchez in summ. lib. 2. cap. 8. num. 5. Lugodæ Pœnitent. disp. 20. sect. 2. nu. 15. Et secundum communem Theologorum sententiam ita sunt inter se peccatum, & censura connexa, ut illud sine ista minimè reservetur. Undè sublata excommunicatione ex quocumque capite cujuscumque casus Pontifici reservati, manet absque reservatione peccatum, ut possit ab illo quilibet Confessarius absolvere, ut de hæresi, quod est crimen omnium pessimum, & omnibus magis reservatum diximus loco cit. de Censur. cap. 4. num. 57. & 62. & tenent Sanchez num. 5. citat. sine. Trullench. dub. 2. num. 2. sine. Vidal. titul. de censur. in quæst. 3. num. 113. Palaus tom. 4. tract. 23. punct. 15. §. 2. Moya in select. quæst. tract. 3. disp. 8. quæst. 2. n. 7. N. Antonius à Spiritu sancto in Direct. confessor. tom. 1. tract. 5. disp. 14. sect. 4. à num. 932. Egidius, Granad. Layman, Hurtad. quos refert, & sequitur Leander de Pœnitent. disp. 12. quæst. 16. & alii plures, quos refert, & sequitur Diana part. 5. tract. 9. resolut. 17. & part. 9. tract. 6. resolut. 13. & part. II. tract. 4. resolut. 4. Qui addunt sufficere ad non incurrendas censuras etiam Pape reservatas, nec reservatio-

Aaaa

nem

nem illis annexam, ignorantiam vincibilem & culpabilem, dummodo non sit crassa, aut supina. Quare in presenti dubium est, quando quis sciens esse actum sub censura prohibitam, & sic illam incurrens ignoraret, an talis censura, vel casus esset reservatus?

Inadvertentia, & obli-  
vio;  
cum ig-  
norantia  
in præ-  
sentia  
quiparā-  
tur.

10. Secundò supponendum est inadvertentiam, seu oblivionem aequalem excommunicationis, alteriusve censuræ, vel reservationis illius eodem modo, ac ignorantia, ab illarum incurfione excusare; siquidem obliuio, inadvertentia, & ignorantia invincibilis sicut æquiparantur in ordine ad excusandum à culpa, ita etiam in ordine ad excusandum à pœna, vel reservatione, quæ quasi pœna judicatur, ut probat Sanchez *lib. 4. sum. c. 22. n. 18.* & *lib. 1. c. 16. nu. 8.* Diana *3. part. tract. 5. resol. 41.* & *p. 5. tract. 9. resol. 17.* & *p. 9. resol. 13.* & *p. 11. tract. 4. resol. 4.* Matthæus de Moya *sup. n. 8.* ubi addit: Quod est maximè observandum ad pluriū casuum resolutionem. Tunc conjux incestuosus cum consanguinea uxoris in primo & secundo gradu excusatur ab incurfione pœnæ privationis petendi debitum, non solum ob ignorantiam, sed etiam ob inadvertentiam, aut oblivionem actualem talis pœnæ, ut cum Porrel. & alijs tradit Diana *3. part. tract. 5. resol. 12.* & *p. 4. tract. 2. resol. 36. & 85.* & putat probabile Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 50.* Hinc etiam quicumque sibi imponens pœnam sub conditione, si occasionem aliquam efficiat, vel præceptum transgrediatur, si ejus imme-

mor delinquat, ut tradit Sanchez *lib. 4. sum. c. 12. citato.* Quare quæ in resolutione difficultatis dixerimus de excusatione à reservatione ratione ignorantia; idem tenendum est, & eodem modo ratione oblivionis, aut inadvertentia actualis etiam culpabilis, dummodo affectata non sit, aut ex malitia, & negligentia proveniens.

11. Prima ergò sententia dupli- A refer-  
cem statuit reservationem; aliam pœ- vatione  
nalem, in odium peccati impostam, excusare  
ut reservatio Sixti V. contra male aliquando  
promotos ad Ordines: aliam me- ignota-  
dicinalem, quæ ad bonam Ecclesie tiam, ab-  
gubernationem inducitur: & pri- quando  
mam dicit non incurri ab eam igno- non ali-  
rantes; bene autem secundam. Prima qui do-  
pars probatur ex probabili multo- cent.  
rum sententia asserente, pœnam  
quæcumque ab ignorante non in-  
curri, quos lato calamo dedimus. *2. tract. 10. de censuris. cap. 7. nu. 54.*  
& tenet Sanchez *sup. nu. 13.* Suarez,  
Henriquez, Navarr. Lopez, Vega, &  
Rodriguez *citati*, & ex ipso Sanchez,  
& Portel docet Diana *tract. 5. miscell.*  
*resol. 13.* excusare ignorantiam etiam  
mortaliter culpabilem ab incurfione  
pœnæ, dummodo non sit ex mali-  
tia affectata. Secunda autem pars  
probatur: quia reservatio medici-  
nalis non est pœna, sed limitatio  
jurisdictionis ad absolvendum, quod  
ad bonum Ecclesie regimen condu-  
cit: sed per hoc, quod peccator igno-  
ret reservationem, non tribuit con-  
fessario jurisdictionem, quam non  
habebat: ergò nequit à tali casu ab-  
solvī, & sic semper reservatus manet.  
Sic

Sic quoad primam partem tenet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. nu. 18. Antonius à Spiritu sancto in direct. confess. tom. 1. tract. 5. disput. 15. sect. 4. num. 935. Megala, Hipolytus, Possevinus, quos refert, & sequitur Diana part. 11. tract. 4. resolut. 4. Ballæus verb. Ignorantia. num. 17. & videtur tenere Fagundez 2. praecept. Ecclesia, lib. 8. cap. 1. num. 28. & probabilem dicit Lugo de Penitent. disputat. 2. num. 11. & tenet eam Moya disput. 8. quest. 2. num. 5. & omnes Doctores pro secunda sententia adducendi. Et quoad secundam partem omnes citati tenent, & eam communem Doctores vocant.

12. Sed certè fundamentum hujus sententiae quoad secundam partem omnino non convincit; & potest contra illius Authores sic retorqueri: Quia omnis reservatio sive pœnalis tantùm sit, sive etiam medicinalis, verè aufert ab inferioribus facultatem absolvendi; hoc enim reservatio secum affert, quòd ab inferiori facultatem adimat, ut ad Superiorem pro absolutione recurrat; & tamen dicunt, quòd ignorantia talis reservationis eam excludit; non quidem dando confessario jurisdictionem, quam non habebat, sed impediendo ablationem jurisdictionis: quia hoc ipso quòd cum ignorantia reservationis pœnalis peccatum sit commissum, non aufertur à Confessario jurisdicção, quam habebat; ergò idem dici potest de omni reservatione, etiam medicinali, vel certè non redditur ratio, quare in uno casu id contingat, & non alio. Maxime:

quia stat esse pœnam simul, & medicinam, ut in excommunicatione cernitur. Undè, sicut excommunicatio non incurritur ab ignorante illam, licèt simul incurrat rationem pœnae, & medicinae ad rectam Ecclesiae gubernationem conducentis; sic dici potest de reservatione tam pœnali, quàm medicinali. Nec etiam est verum fundamentum, quo innititur hæc sententia quoad primam partem. Nam, ut diximus de Censura capite 1. numero 193. probabilius est ignorantiam pœnae ab ejus incurfione non excusare: & hoc est speciale in excommunicatione, vel alia censura, ob rationem ibi dictam; & ob idque ibi num. 195. & cap. 7. num. 54. irregularitatem incurri diximus ab eo, qui cum ignorantia illius, delictum, cui annexa est, committeret: quia pœna, quæ contumaciam non exposcit, non requiritur, quòd voluntaria sit; & ob id cognita: quin potius contra voluntatem imponitur frequenter, & in pœnis temporalibus constat; à quibus non excusatur latro, aut homicida, si cum notitia malitiam actus operentur; tametsi pœnas pro illis in lege positas ignorent.

13. Secunda sententia omnem reservationem esse pœnalem dicit; & sic ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem excusare, & omnem reservationem esse pœnam docent Paludan, in 4. dist. 34. quest. 2. art. 1. Grassis tom. 1. lib. 5. de adultu, consil. 3. num. 13. Velochius de casibus reservatis, part. 2. quest. 3. num. 203, & qu. 17. nu. 66. Diana 2. p. tract.

tract. 14. resolut. 63. & par. 6. tract. 6. resolut. 42. tenet etiam Quintanadueñas in singular. tract. de penit. singular. 11. & tom. 2. tract. 4. singular. 8. Th. Hurtado tom. 2. resolut. moral. tract. 12. c. 1. n. 1123. Huic sententiæ adharemus non ob fundamentū illius, quod quilibet reservatio est pœna, quæ non incurritur ab illam ignorante, quia hanc rationem numero præcedenti refutavimus; sed quia est pœna medicinalis, quod etiam primæ sententiæ Auctores admittunt: sed pœnæ medicinales ab ignorantibus illas minimè incurrunt, quod sic probatur. Quia pœnæ medicinales quàmvis ut pœnæ imponantur in punitiōnem præteriti delicti, ut medicinales ad præcavendum peccatum in futurum, ut saltem pœnæ timore perterritus à lapsu retrahatur peccator. Ideo enim reservantur peccata, ut homines scientes difficulter absolutionem obtenturos, ab eis committendis cohibeantur: & hic in omnium sententia est finis reservationis. Et ob id graviora peccata sunt, quæ reservantur, ut timore redeundi ad Superiorem pro illorum relaxatione, difficiliter committantur; ad quod notitia reservationis omninò requiritur: quia respectu illius, qui nesciret peccatum esse reservatum, reservatio nullo modo à commissione illius cohiberet, & finis intentus à Superiore in tali reservatione omninò cessaret: ergo sicuti respectu ignorantis cessat finis reservationis, nec ista est medicina retrahens à peccato respectu illius; ita respectu illius cessat reservatio.

14. Quod explicatur duplici exemplo. Primum sumitur ex eo, quod in excommunicatione accidit, quæ simul est pœna, & medicina; & ratio medicinæ non tollit rationem pœnæ; nec ratio pœnæ tollit rationem medicinæ; licet unà cum alia connectatur. Quâ parte pœna est, ordinatur ad puniendum delictum; quâ parte verò est medicina, ad impediendum peccatum, ne in posterum amplius committatur: & cum nihil horum vim habeat respectu illam ignorantis, ab eo non incurritur excommunicatio, nec in ratione pœnæ, nec in ratione medicinæ, ut tenent communiter Doctores. Secundum ex voto pœnali deducitur: si quis enim sibi certam pœnam imponeret pro casu, quo in certum crimen labatur, talis pœna est medicinalis ad retrahendum ipsum à commissione peccati assumpta, ut saltè timore pœnæ ab illo retrahatur peccator; & tamen si oblitus pœnæ delictum committeret, eam non incurreret, quia talis pœna non esset medicinalis respectu illius; & quia finis intentus à veniente in impositione illius, penitus cessaret; cum non posset perterritus, nec à peccato retrahere pœna eū, qui illam penitus ignorat, aut ejus omninò obliviscitur. Similiter ergo philosophandum est in reservatione. Nec ob id sequitur (ut sic tacita objectio solvatur) non manere votum, v. g. castitatis reservatum in eo, qui reservationem ignoraret. Nam est dispar ratio inter reservationem voti, & reservationem peccati: quia illa non imponitur ut pœna, sed propter

Duplici  
exemplo  
præcedis  
doctrina  
explicatur.

propter voti, & materiae illius gravitatem, ob quam non erat æquum, quod res tanti ponderis passim relaxaretur; sed quia est magni momenti, solum superiori Principi maneret reservata: neque ut medicina retrahens homines à votendo, sed magis ut plus firmentur in voto, ne de facili à promissione Deo facta, recedant. Unde reservatum maneret votum, v.g. castitatis etiam respectu illius, qui dum votum emisit, ignarus, vel immemor erat illius reservationis; quod secus propter oppositam rationem contingit in casibus reservatis.

§. III.

*Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censura excuset à reservatione.*

Qui de reservatione dubitant, non incurunt eam.

14. **H**Oc etiam dubiololum sicut & præcedens, pro plena hujus materiae notitia excitamus. Inquiritur ergo, an dubius de peccato, vel de censura reservata incurrat reservationem, & teneatur pro solutione superiorem adire; Bisariam potest dubium contingere, vel dubium facti, ut si certus de reservatione, dubitet an peccatum commiserit, cui est annexa reservatio: vel dubium juris, ut si certus tale commississe peccatum, dubitet an reservatum sit illud delictum? Et in utroque casu dicimus dubium à reservatione liberare. Tum: quia cum reservatio sit odiosa, ut potè potestatem inferioris restringens, restringenda est tantum ad casus cer-

tos, & indubios; sicuti ob eandem rationem diximus tract. de voto, reservationem votorum intelligendam de votis certis, & indubitatis. Tum etiam: quia penitens certis de peccato mortali posside: libertatem suam cum quolibet ordinario Confessario: ergo non potest propter dubium superveniens hac certa possessione privari: quia semper, & in quolibet materia tenet illa regula: *melior est conditio possidentis*, ut diximus tom. 3 tract. 11. cap. 2. n. 109. Sic Sanchez lib. 1. summ. cap. 10. n. 73. Trullench. in praxi sacrament. c. 10. dub. 9. num. 3. Mathæus de Moya in select. qq. tract. 3. disput. 8. quest. 3. num. 3. Lugo Cardin. de penitent. disputat. 20. n. 16. Quintanadvennas tom. 1. tract. 3. singul. 11. & 18. num. 9. Diana 4. part. iv. 3. resolut. 4. Antonius à Spiritu sancto supra sect. 7. num. 943. Bassæus casus reservatus, num. 23. & alij ab istis citati.

15. Qui vero cum dubio supra dicto ab inferiori esset absolutus à peccato reservato superiori, etiam si postea dubium cessaret, vel quia certo sciret se commississe peccatum, de quo ante confessionem dubitabat, vel certus de peccato, certò jam sciret reservatum esse, de quo dubitationem habebat, non teneretur postea coram superiori comparere, ut docet Perez de penitentia, disputat. 48. sect. 4. num. 10. Dicastillo disput. 11. num. 199. Pellizzar. tract. 6. c. 1. n. 91. Antonius à Spiritu sancto sect. 8. num. 46. Lugo num. 20. Leander de penitent. disput. 12. quest. 12. Moya num. 6. Et ratio est: quia penitens dubius de casu refer-

Qui cum dubio de reservatione ab inferiori absolutus, fuit etiam si postea compariat idem peccatum certò esse reservatum non

tenetur  
superio-  
rem adi-  
re.

vato fuit per sacerdotem inferiorem directè, & absolute absolutus: quia respectu casus dubij de reservatione non est illi iurisdictio coarctata per reservationem; cum reservatio ut diximus, solum ad casus, & censuras certas extendatur: sed directè absolutus, & absolute à peccato vel censura reservatis ab habente iurisditionem, cogendus non est ad superiorem recurrere: ergo, & c. In quo differt ab eo, qui in casu necessitatis absolvitur ab inferiori, qui postea tenetur coram superiori comparere modo, quo diximus de censuris, *tr. 10. cap. 2. de censur. à num. 66.* quia non fuit absolute à censura, vel peccato absolutus, sed sub conditione, vel ut melius dicamus sub onere, ut data opportunitate coram superiori compareat: vel (quod verius est, ut loco citato diximus) si absolute obtinuit absolutionem, datur Pontificis præceptum in *cap. ea noscitur 13. cap. quamvis 58. de sentent. excommun.* ut sic absolutus teneatur postea coram Pontifice comparere; non pro absolutione, quia verè, & absolute præstata est, sed in partem pœnitentiæ ad specialem summisionem, & obedientiam Ecclesiæ præstandam. Quod non datur in casu nostro, in quo pœnitens nec sub conditione, aut onere præsentandi se, absolutus est: nec datur in iure de tali comparitione præceptum. ¶ Quare sicut qui dubitans, an votum esset reservatum, illius obtinuit dispensationem, non tenetur veritate postea detecta, ad Pontificem pro dispensatione recurrere, ut docet Sanchez *lib. 4.*

*summ. c. 44. n. 10. Lugo disp. 20. sect. 2. n. 22. Trullench. in decalog. tom. 1. lib. 2. dub. 33. n. 24.* Quia dispensatio, quam obtinuit dum erat dubia reservatio, non fuit conditionalis, nec eius valor à futuro eventu dependens. Similiter, quia in nostro casu absolutio data de casu, sub dubio reservata, non fuit conditionalis, sed absoluta; quia non fuit à futuro eventu dependens, & ab habente iurisditionem directè præstata, etiam veritate detecta non tenebitur pœnitens coram superiori comparere.

16. Sed est contra hoc difficilis objectio: quia qui haberet peccatum dubium, & ut dubium illud confessus fuisset, iam absolute, & directè est ab eo absolutus ab habente legitimam iurisditionem; non enim absolvitur sub conditione pendenti in futurum; alias maneret absolutio suspensa, usque ad adventum futurum; & sic minime peccatum sublatum, quod est absurdissimum. Si quando enim absolutio impenditur sub conditione, ut si quis solum peccatum dubium fateretur, est sub conditione de præterito, quæ non suspendit absolutionem, ut diximus *tract. 9. de matrim. cap. 7. num. 1.* & nihilominus, si postea sciat peccatum à se commissum verè fuisse, iterum teneri confiteri ut certum, quod antea confessus fuerat ut dubium, ut tenet communis sententia. Ergo similiter, qui dubius de reservatione peccati illud confessus fuerit inferiori Sacerdoti, detecta postea veritate, tenebitur coram superiori comparere, ut ab eo omnino liberetur.

17. Ad

Aliqui  
fentiunt,  
cum  
quis sub  
dubio est  
confes-  
sus pec-  
catum,  
non ten-  
neri, re-  
cedente  
dubio,  
illud  
amplius  
confiteri

17. Ad hanc objectionem facili-  
ter posset responderi secundum illo-  
rum opinionem, qui asserunt peccata  
sub dubio confessa, ablato dubio, non  
teneri iterum illa pœnitens confiteri.  
Et probant primo: quia de illo peccato  
dubio jam fuit directè absolutus:  
sed qui directè absolutus est à peccato,  
non tenetur illud iterum subijcere  
clavibus: ergo, &c. ¶ Secundo: qui  
in confessione se accusavit, dicens de-  
cies pejeravi plus minusve, etiã si  
certo postea comperiat duodecies  
pejerasse, non tenetur duo iterum  
perjuria confiteri, ut communis do-  
cet opinio; sed hæc duo supra decem  
solum sub dubio est confessus: ergo  
qui sub dubio est confessus, cessante  
dubio, illud iterum confiteri non  
tenebitur. ¶ Tertio: qui dubitans, an  
peccatum sit mortale, vel veniale il-  
lud integrè confitetur, non tenetur  
iterum illud clavibus subijcere, et-  
iam certo mortale fuisse cognoscat,  
ut ferè omnes Doctores tenent: ergo  
similiter in nostro casu. Sic Leander  
de pœnitent. disputatione quinta, quæstio-  
ne 27. Martinus de sancto Joseph. in  
monitis Confessor. tomo primo, libro pri-  
mo, tractatu octavo, num. 9. Marcus Vi-  
dal. in arca Theolog. moral. tomo 1. de  
pœnitent. in quæst. à num. 33. Noster  
Antonius à Spiritu sancto in director.  
Confess. tom. 1. tract. 5. disputat. 5. sect.  
3. num. 96. Tancredo in qq. moral. disp.  
6. de pœnitent. quæst. 2. folio 102. Delga-  
dillo tom. de pœnitent. cap. 14. dub. 10.  
Ferraninus in disput. practic. quæst. 78.  
Caramuel in Theol. mor. lib. 3. disp. 4. n.

1539. & in Theol. fundam. fol. mibi 699.  
Sebastianus Sacchus in suscit. flor. l. 1.  
tract. 4. cap. 3. n. 35. & probabilem di-  
cant Thomas Tambur. in method. ex-  
peditio. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 4. nu. 24.  
Verticelli in qq. moral. tom. 1. tract. 5.  
quæst. 6. num. 22. Pellizzar. tom. 1. tract.  
5. cap. 3. sect. 1. num. 56. & videtur hoc  
asserere Lugo Cardinalis disput. 16.  
sect. 2. num. 92. ubi plura pro hac sen-  
tentia congerit, & probabilem il-  
lam judicasse R. P. Nicolavm Ri-  
chardum S. Palatii Magistrum, do-  
cet; quamvis addit: *Se nolle in hoc pun-  
cto aliquid diffinire, sed securiorem par-  
tem consulere.*

18. Cæterum ob hæc non est re-  
cedendum à communi sententia,  
quam tom. 1. tract. 6. de pœnitent. cap.  
8. num. 47. sequuti sumus, quam præ-  
ter ibi citatos tenent Thomas Hurta-  
do tomo secundo, tractatu 22. capite  
primo, dub. 9. n. 2097 Gaspar Hurtado  
disputatione 9. de pœnitent. diff. ult. 7. §.  
observandum. Moya supra tractatu 3.  
disputatione prima, quæstione sexta, nu-  
undecimo, Torres de pœnitent. quæstione  
9. articulo 2. disputatione 26. dub. 6. Il-  
lustrissim. Magist. Fr. Petrus à Tapia  
in caten. moral. lib. 4. quæst. 15. art. 9. Ra-  
phaël de Averla de pœnitent. quæst. 10.  
sect. 2. §. quod si. Quiedo 1. 2. tractatu  
quinto, controvers. 4. part. 7. num. 58. &  
alij communiter. Et probatur: quia  
peccatum explicandum est in confes-  
sione prout est in conscientia pœni-  
tentis: sed peccatum, quod jam ut du-  
bium erat confessum, nunc est in  
conscientia pœnitentis ut certum: er-  
go ut tale iterum est confiten-  
dum.

Pecca-  
tum ut  
dubium  
confes-  
sum, ut  
certum  
confi-  
tendum  
est; si de  
illo pœ-  
nitens  
certifi-  
cetur.



dum. Nec inde est inferendum, quod si ut certum fuisset peccatum, si postea de illo dubitaret, iterum teneretur illud ut dubium confiteri: quia iterum confiteri ut dubium solum serviret ad se excusandum: & quia negatio materiae certae non est materia confessionis; cum potius minuat, quam adaugeat gravitatem. ¶ Secundo, quia licet hic directè absolutus esset, est conditionatè, non absolutè: ergo adveniente noticia certa, tenebitur iterum confiteri, ut directè nunc absolvatur à peccatis absolutè; quemadmodum non sufficit poenitentem esse indirectè absolutum; sed teneretur iterum confiteri, qui indirectè est absolutus, ut directè iterum absolvatur, ut omnes docent: Ergo similiter, qui directè, sed conditionatè est absolutus, iterum debet confiteri, ut directè, & absolutè absolvatur: quia non facilis disparitas reddi potest, quare indirectè absolutus, debeat directè absolvi; & non debeat absolutè absolvi; qui solum erat absolutus conditionatè. ¶ Confirmatur: quia ad peccatum commissum per se sequitur obligatio confessionis, à qua subortum dubium partim excusat, ut solum in dubio confiteatur, & obvineatur illius conditionata absolutio, sicut oblivio in totum excusat, ut indirecta absolutio obvineatur: ergo sicut cessante oblivione rediret per se integra obligatio confitendi ad obtinendam absolutionem directam; ita cessante dubio, rediret integra obligatio confitendi ut certum peccatum, ad obtinendam absolutionem absolutam.

19. Melius ergo ad objectionem numero decimo sexto, positam, responderetur, reddendo inter reservationem, & peccatum confitendum disparitatem, quam poni Thomas Sanchez in *Deal. g. libro primo, capite decimo, numero 7. 4.* Quod reservatio peccatori non est odiosa, eo, quod est restricta a jurisdictionis Confessoris ordinarij: & ob id extendi non debet ad casus dubios; sed solum restringi ad certos, & determinatos, ut de reservatione votorum, in ejus tractatu diximus. At præceptum confessionis apud omnes est favorabile, ut potè ad salutem animarum ordinatum: & sic minime restringi, sed potius debet ampliari. Quare sicut ob hanc rationem extenditur ad peccata dubia, quae quilibet confiteri teneretur, ut diximus tractatu de poenitent. 8. numero trigesimo quinto, & nunc suppono, licet probabile sit contrarium; ita ad confitenda ut certa peccata, quae sub dubio confessà erant, ut probavimus: E contra sicut non est obligatio observandi reservationem, qui de illa dubitat, ut ex communi sententia diximus num. 14. ita non teneretur iterum ad reservationem redire, & coram Superiori comparere, qui in dubio de illa fuit jam absolutè ab inferiori absolutus.

20. Restat respondere ad argumenta n. 17. adducta. Ad primum constat ex dictis; quod sicut peccatum, de quo est aliquis indirectè absolutus propter oblivionem iterum debet subijci clavibus, ut directè de illo absolvatur, recedente oblivione, quia sic communiter intelligitur ab

Ec-

Disparitas inter reservationem & peccatum dubium confitendum.

Solutio prima argumenti contrarium.

Ecclesia præceptum confessionis fuisse à Christo Domino impositum: sic peccatum de quo conditionatè est quis absolutus propter dubium, debet recedente dubio, subjici clavibus, ut de illo absolutè absolvatur; quia sic communiter fuit à Doctoribus intellectum præceptum Christi Domini de confessione. Sicuti in eo, qui se accusavit de aliquo peccato dicens: confiteor malam cogitationem, si fortè illam habui: quod aliqui non dubitantes, sed ad majorem securitatem, impertinenter quidem faciunt; si certo postea cognoscat se illam habuisse, tenetur postea absolutè illam cogitationem confiteri, ut absolutè ab illa absolvatur, ut ferè omnes dicunt; ita qui dubitans de peccato confitetur: quia sub conditione, si fortè illud peccatum commisit, confessus est, veritate detecta, iterum ad confessionem rénebitur, ut absolutè absolvatur.

Secundum argumentum contrarium dissolvitur.

21. Ad secundum responderetur cum doctissimo M. Petro à Tapia loco *suprà citato*, dubium posse esse vel circa peccatum in particulari quoad substantiam, quia confitens nequit determinatè judicare, an omiserit illud, vel non; & de hoc dicimus, quod cessante dubio debet de illo confiteri. Vel potest esse circa numerum peccatorum in communi, eo quod nequeat ad certum numerum commissa peccata reducere: quod optimè contingere potest absque dubio occurrente circa substantiam alicujus peccati in particulari. Quod accidit, quando tot peccata confitetur plus, minusve expressè dicendo, vel subin-

telligendo hoc ipsum tacitè. & in hoc casu, fatemur non teneri postea confiteri illud, quod sub hoc dubio propalavit, etiam dubio ipso recedente: quia obligatio explicandi numerum suam latitudinem habet; siquidem juxta communem Theologorum sententiam, solum est ad explicandum numerum non mathematicè, sed moraliter determinatum: quod fit per illa verba: *plus minusve*; ita Confessarius multitudinem peccatorum verosimiliter, & moraliter percipiat, & statum ipsius pœnitentis.

22. Ad tertium dicimus, quod scire an peccatum sit mortale, an veniale non est ex conditionibus se tenentibus ex parte pœnitentis, quia ad ipsum solum spectat rem quoad substantiam, & numerum prout à parte rei facta est, manifestare. Judicium vero de gravitate peccati, an sit mortale, an veniale, hoc ad Confessarium pertinet, qui judex est, & qui sententiam proferre debet. Unde sicut putans se solum veniale confiteri absque dubio circa mortalitatem, satisfacit suæ obligationi, si clarè, distinctè quoad substantiam, & numerum rem prout contigit, patefecit; nec tenetur postea veritate comperita, iterum peccatum illud clavibus subjicere: quia jam directè, & absolutè ab eo absolutus est à Confessario. Ita qui peccatum sub dubio, an mortale, an veniale fuerit, confessus est; quia jam quantum ad ipsum attinet, fecit, rem certam secundum substantiam, & numerum deponens; licet dubius de gravitate, directè, & abso-

ultimo argumento satisficit

B b b

abso-

absolutè absolvitur ab eo, iudicium rei Confessario remittens, ad quem spectat cognoscere gravitatem, sicut & de illa iudicare: & non tenetur, re sine dubio comperit, iterum tale peccatum clavibus subijcere, ut tenet communis sententia.

Ad 23. Eisi fortè roges ad quantum illa verba se extendant, plus minusve, ut postea non teneatur aliquis confiteri determinatè, quod implicitè in illis confessus est? Respondit Vivaldus in *candelabro aureo, de confess. tract. 7. §. sed dixi folio 100.* eum, qui confessus fuit centies plus minusve jurasse, non teneri iterum confiteri, licet postea comperiat fuisse 200. Quod probabile putat Angelus Mar. Verrecelli *tom. 1. qq. moral. tract. 5. quest. 6. num. 23.* & ipse *tract. 1. quest. 8.* dicit illa verba, plus minusve addit quoad confessionem medietatem supra summam expressam, taliter, quod si confessus est centum juramenta plus minusve, iterum non confiteri teneatur, licet postea certo sciat fuisse 150. Sed utraq; hæc doctrina nimis laxa videtur: quia illa particula, secundum communem sensum, parvum excessum denotat: & assignatus, est certè magnus. Probabile autem est, quod docet Diana cum Filliucio, & Navarro 3. *part. tract. 4. resolut. 94.* & *part. 4. tract. 4. resolut. 204.* Quod si quis se accusaret decies, plus minusve pejerare, si postea recorderetur de aliis tribus vicibus, non teneretur illas confiteri: & si centum plus minusve confiteretur, si postea recorderetur esse centum, & decem: non teneretur illa confiteri.

Sed verius est, hoc arbitrio prudentium relinquendum, juxta summam peccatorum, cui illa clausula plus minusve superadditur. Addit M. Jajada *tom. 1. lib. 2. tract. 3. controvers. 10.* (Si postea confessione finita recorderetur illorum peccatorum, quæ confessus est, majorem esse numerum, non teneri iterum confiteri: quia confessio cum sufficiente examine facta, moraliter loquendo comprehenditur, & claudit totum peccatorum numerum: & illa particula à penitente adducta æquivaleret omnibus alijs, & per illam confessarius satis devenit in cogitationem status penitentis.)

## §. IV.

De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus remissive.

24. **P**osse Prælatos regulares cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus dispensare possunt Episcopi respectu tuorum Diœcesanorum, ex Bulla Pii V. & Gregorij XIII. diximus *tract. 10. de censuris, cap. 7. num. 63.* Imò ibidem pluribus citatis diximus posse confessarios regulares cum secularibus dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis ex Bulla Sixti IV. & à Julio II. confirmata. Irregularitates vero, à quibus possunt Episcopi subditos suos liberate assignantur in Concilio Tridentino *sess. 24.*

sess. 24. capite sexto, de reformatione, ubi Episcopis Diocesim habitantibus conceditur, ut cum suis subditis dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes; & quæ ad forum contentiosum non sunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario causata. Circa quam dispositionem Concilij videnda sunt, quæ latè diximus eodem tract. capite 2. punct.

5. An verò virtute Bullæ Cruciatæ possit dispensatio impendi in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio voluntario causatis, vide à nobis dicta dicto tract. cap. 7. à num. 64. Ubi duplicem sententiam reulimus: & licet negativæ parti ut probabiliori adhæsimus; affirmativam pluribus citatis Authoribus, & rationibus adductis, probabilem judicamus.

25. Insuper possunt Prælati omnes irregularitates suorum subditorum tollere, sive ex delicto, sive ex defectu proveniant, etiam irregularitatem bigamiæ, aut homicidij voluntarij, dummodo notorium non sit, ex privilegio Martini V. tract. 10. de censur. cap. 7. num. 59. statuimus: ubi etiam diximus ex privileg. Pauli III. & Sixti IV. posse Prælatos prima die Lunæ Quadragesimæ cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus, etiam publicis, & notorijs, etiam quæ ex bigamia, & homicidio voluntario proveniunt. Imò ex concessione Pij V. num. 129. diximus loco citato capite 8. num. 17. posse Prælatos regulares toties, quoties suos subditos liberare ab omni irre-

gularitate ex delicto, etiam ex homicidio voluntario, & publico; dummodo tale homicidium factum non fuerit post ingressum religionis, & semper sint in illa permansuri, donec vixerint, ut in eadem Bulla expressè declaratur. Videatur Noster Lezana *tom. primo, parte prima, cap. 18. nu. 44.*

26. Descendamus in particulari ad singulas irregularitates, ut hoc clarius innotescat. Et loquendo prius de illis, quæ ex delicto proveniunt, omnium gravissima, & difficilior dispensatu est illa, quæ provenit ex homicidio voluntario; quia in tribus privilegijs adductis datur sua limitatio. In primo in quo conceditur facultas ad dispensandum in irregularitate illius, etiamsi homicidium sit ante vel post ingressum religionis commissum, & hoc in quolibet anni tempore, ut pluribus citatis diximus *tract. 10. cap. 8. num. 17.* sed additur limitatio, dummodo non fuerit *notorium delictum*. In secundo limitatur facultas ad primum diem Lunæ Quadragesimæ: & in tertio ad irregularitatem ex homicidio ante ingressum religionis patratum. Videndum nobis est, quid in primo per notorium delictum intelligatur? Circa quod recolenda sunt, quæ diximus *tract. 10. cap. 3. n. 17.* Quod notorium est, quod nitiur scientiæ majoris partis communitatis; quia nimirum coram illis fuit perpetratum: Nam si ad illius notitiam alio modo perveniat, dicetur famosum, vel manifestum, non vero notorium. Igitur in his, & similibus privilegijs accipitur pro

Qualiter irregularitatem ex delicto homicidii possint tollere regulares

eo quod est publicum, vel per evidentiam facti, vel per sententiam iustam iudicis, vel per confessionem rei in iudicio, vel per publicam famam omni tergiversatione carentem: & non sufficit, quod testibus possit probari, nisi dictas condiciones habeat. Neque quod delictum deductum sit ad forum contentiosum tollit esse occultum, si iudex absolvit reum per sententiam diffinitivam: Imo etiam si reus fuerit damnatus, & convictus, si iudicium jam finitum est, & reus punitus, adhuc ejus delictum manet inter terminos occulti, & occultum accipitur in presenti. Sanchez *lib. 2. summ. cap. 11. num. 21.* Avila, Henriquez, Reginald. quos refert Bonacina *disputatione septima, de censuris, questione quinta, punct. 1. numero primo.* Imò etiam si delictum fuerit publicum in uno loco, si in loco, in quo petitur dispensatio fuerit occultum, nec detur proxima spes, quod in illo publicetur, adhuc dicitur occultum, prout opponitur publico, & notorio. Vidal. *de casibus reservatis, inquisit. 1. num. 105.* Vincentius Candidus *tom. 1. disquisit. 22. art. 49. dub. 9.*

De alijs  
irregularitati-  
bus, in  
quibus  
possunt  
dispensare Præ-  
lati.

27. Possunt etiam Prælati regulares absolvere suos subditos in irregularitate orta vel ex homicidio casuali, vel in defensionem contra injustum invasorem, cum excessu in moderamine inculpatæ tutelæ, & hoc toties quoties, etiam si delictum sit publicum, aut notorium, ut probavimus loco citato, *cap. 8. num. 43. & 58.* Et eodem modo possunt cum religiosi

dispensare in irregularitate orta ex mutilatione voluntaria, cum solum sit homicidium voluntarium exceptum, modo explicato in supradictis privilegijs, ut *ibidem num. 28.* diximus: Etiam possunt dispensare in irregularitate orta ex infamia sive ante ingressum religionis, sive post illum sit contracta, sive sit facti, sive juris, quacumque illa sit, nulla excepta, ex privilegio Pij IV. concessio Clericis ministrantibus ibi *num. 75.* & etiam in irregularitate contracta ob violationem censurarum: quia videlicet excommunicatus, suspensus, aut interdictus, vel in loco interdicto celebravit, aut actum proprium ordinis sacri solemniter exercuit, potest Prælati toties quoties dispensare, etiam si publica sit, ex privilegijs Sixti IV. Gregorij XI. & Pauli III. ut diximus *eadem c. 8. n. 72.*

28. Etiam in irregularitatibus provenientibus ex defectu possunt Prælati cum suis subditis dispensare. Et in primis cum corpore vitiatum possunt, ut si defit pes, vel oculus, etiam sinister, qui est Canonis, ut diximus *tract. 10. cap. 9. num. 75.* & ex privilegio Sixti IV. probat Bordon. *resolut. 11. num. 10.* & ex alijs concedentibus facultatem dispensandi in omnibus excepto homicidio voluntario, & bigamia tenet Diana *4. part. tractatu 2. resolut. 73.* Lezana *tom. 5. in mari magno Minorum, num. 144.* Pellizzar. *tract. 9. cap. 3. sect. 4. num. 133.* ¶ Ex vi professionis religionis tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad susceptionem Ordinum,

De irregularitatibus et defectibus in quibus possunt dispensare Prælati.

num, ut diximus *cap. illo 9. num. 55.*  
 & etiam tolli quoad dignitates, itaut  
 ad illas eligi possint, probabile esse  
 diximus *num. 56.* sed posse Prælatos  
 quoscumque sive Generales, Pro-  
 vinciales, vel etiam Priores cum quo-  
 cumque illegitimo ad prælaturas, &  
 quascumque alias dignitates irregu-  
 laritatem tollere late diximus *ibi nu.*  
*57.* & modò tenent Bordonus *resol. 11.*  
*num. 48.* Lezana *tom. 1. cap. 18. nu.*  
*60.* Candidus *disquisit. 24. art. 61. dub.*  
*23.* Pellizzari *num. 131.* Peyrinus  
*tom. 1. privileg. Minimor. ad constitut.*  
*2. Julij 11. §. 29. à num. 25. tract. 12.*  
 de *dub. regul. resolut. 102.* ¶ Possunt  
 etiam Prælati cum suis subditis dis-  
 pensare cum omnibus bigamis, biga-  
 mia vera interpretativa, & simili-  
 tudinaria, ut probavimus *loco citato.*  
*cap. 9. num. 42.* & præter ibi citatos  
 tenet Bordonus *resolut. 11. num. 31.*  
 Bauny *tom. 2. tract. 11. quest. 58. litte-*  
*ra B.* ¶ Possunt etiam dispensare in om-  
 ni irregularitate sive publica fuerit,  
 sive secreta, proveniente ex defectu  
 lenitatis ratione homicidii, aut mul-  
 tationis exercitæ, vel in ordine judi-  
 ciario, à iudicibus, & ministris, vel in  
 bello iusto, ut diximus *eodem cap. 9.*  
*num. 24.* propter illa privilegia, quibus  
 ipsis conceditur facultas dispen-  
 sandi in omni irregularitate, excipien-  
 do solum eam, quæ provenit ex biga-  
 mia, & homicidio voluntario (ad has  
 enim alia dantur diversa privilegia,  
 citatis locis adducta) homicidium  
 verò, quod fit vel à iudice servato or-  
 dine juris, vel à milite in bello iusto,  
 non dicitur homicidium voluntarium,  
 quod est contra quintum De-

calogi præceptum: quia hoc solum di-  
 citur homicidium injustè patratum.  
 Sic præter ibi citatos Pellizzari *suprà*  
*num. 143.* Lezana *tom. 5. in mari ma-*  
*gno Prædicator. num. 128.* & *tom. 1.*  
*part. 2. cap. 18. nu. 43.* Vidal. in *can-*  
*delabro aureo, 2. part. titul. de irregu-*  
*laritate, §. de dispens. quoad fratres.*  
 Candidus *tom. 1. disquisit. 24. artic. 61.*  
*dub. 19.*

29. Possent etiam regulares Præ- De aliis  
 latorum dispensare cum suis subditis in irregulari-  
 tate proveniente ob abortitibus,  
 tum scilicet animati, etiam si publica & pœ-  
 fuerit, & in pœnis excommunicatio- nis, in  
 nis, privationis officii, beneficii, & quibus  
 dignitatum, quæ obtinent, & inhabi possunt  
 litatis ad imposterum obtinenda, im dispensa-  
 positus à Sixto V. & Gregorio XIV. re Præ-  
 tenet Bordonus *resolut. 13. num. 19.* lati.  
 Bauny *tom. 2. tract. 11. quest. 58. litte-*  
*ra C.* quos refert, & sequitur N. An-  
 tonius à Spiritu sancto *tract. 2. in di-*  
*rect. regul. disp. 1. sect. 2. num. 77.* Sed  
 hæc intelligenda sunt cum limitatio-  
 nibus à nobis adductis *ib. 3. tract. 13.*  
*cap. 2. punct. 4. §. 3. à num. 72.* nimi-  
 rum quod in dicta irregularitate pos-  
 sunt Prælati dispensare eo modo, quo  
 possunt in irregularitate ob homici-  
 dium voluntarium: quia talis abortus  
 factus animati procuratio verè ho-  
 micidium voluntarium est. ¶ Deni-  
 que possunt Prælati cum suis subditis  
 dispensare in omnibus pœnis, inhabi-  
 litatibus contractis ob quæcumque  
 delicta, ut privationis ab officio, be-  
 neficio, dignitate, inhabilitatis ad il-  
 la, vocis, & loci, &c. postquam jam  
 pœnæ istæ sunt contractæ, nisi alias  
 sint reservatæ Pontifici. Candidus

tom. 2. quest. 24. art. 61. dub. 10. Imò etiam si sint Pontifici reservatæ, adhuc possunt ex privilegijs Sixti IV. Pii V. & Gregorii XIV. docent Suarez tom. 4. de religion. tract. 8. cap. 12. num. 9. Sanchez lib. 6. summ. cap. 15. num. 78. Pellizzar. tract. 9. cap. 3. sect. 4. num. 147. Antonius à Spiritu sancto supr. n. 95. Lezana cap. 18. citato. n. 33. & 35.

## §. V.

Qualiter Prælati cum suis subditis in legibus, & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare remissivè?

Plura circa hoc alibi tracta, & declarata recensentur.

30. **N**on loquimur in præsentem facultate Prælatorum ad irritanda vota subditorum, vel ad dispensandum in eis: nam de hoc latè à nobis disseritur hoc volumine tractatu de Voto. cap. 3. & circa irritationem ibidem; & circa dispensationem in eodem loco, & alia ibi circa istam materiam declarantur: sed de facultate in legibus, aut præceptis dispensandi; & quæ privilegia circa officium divinum habeant Regulares, latè diximus supr. tract. 16. de Hori Canonici. cap. 3. punct. 7. per totum: specialiter autem à num. 55. diximus qualiter Prælati possint cum infirmis, aut multum occupatis dispensare in recitatione officii Canonici. Et quid possint circa alienationem bonorum mobilium, & immobilium, diximus tract. 15. & plura alia, quæ ab aliquibus hinc examinantur, quia alibi suis locis à nobis jam acta sunt, prætermittimus.

31. Sed circa præcepta, & leges Ecclesiasticas statuendum est posse Prælatos cum suis subditis in omnibus legibus, & præceptis Pontificiis dispensare, in quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum: habent enim jurisdictionem quasi Episcopalem in ipsos, ut supr. n. 1. diximus. Quia ex quo exempti sunt Religiosi à jurisdictione Episcoporum, Prælati cum omni jurisdictione loco ipsorum succedunt. Et habetur in Clement. Ne Romani, de electionibus, & Bulla Pii V. Romani Pontifici, & tenent communiter Doctores. Undè in omnibus casibus, & legibus, in quibus diximus tom. 3. tract. 11. de legibus, cap. 5. punct. 4. num. 15. posse Episcopum, vel inferiorem Prælatum dispensare in lege superioris: possunt Prælati in legibus, aut præceptis superiorum, etiam Pontificis dispensare. Ut ibi num. 36. annotavimus: & sic possunt cum suis subditis, etiam novitiis, tertiariis, commensalibus super jejunia, esum carniū, lacticiū, &c. dispensare, ut tenet Pasqualig. de jejunio. decis. 388. num. 3. Fragol. 2. part. lib. 1. d. sp. 24. §. 7. n. 15. Bordon. resol. 18. num. 7.

32. Supposito dicto principio, quòd in omnibus casibus, in quibus potest inferior in lege superioris dispensare, possunt Prælati regulares in legibus, & præceptis Pontificis, & aliorum superiorum dispensationem impendere, videndum est, qui sint illi casus. Primò, quando lex permittit dispensare, non designans dispensatorem, ut loco citato, num. 37. diximus;

Possunt Prælati in omnibus legibus dispensare, in quibus possunt Episcopi.

mus : quia quando in lege ponitur posse fieri dispensationem , non intelligitur de Superiori ferente legem : nam id frustra faceret , cum hoc semper talis Superior ex jure ordinario habeat : Et sic censendum est tunc committere dispensationem inferiori. Sic præter ibi citatos Martinez à Prado tom. 1. cap. 4. quæst. 3. num. 14. Barbosa 2. part. Pastoral. allegat. 33. num. 22. Quare cum in nostris constitutionibus dispensator illarum assignetur , quod solum sit diffinitorium generale , 3. part. cap. 8. num. 14. à quo raro , & maturè dispensatio fieri debet , & concurrentibus ex quinque suffragiis , quatuor ; vel sex , ex septem ; nullus inferior Prælatus poterit in legibus nostris dispensare , & in his , quæ pertinent ad Regulam , neque ipsum Capitulum generale , ut habetur 3. p. c. 2. n. 16. poterit dispensare , quod merito statutum est. Quia cum dispensatio sit vulnus legis , seu , ut loquitur Augustinus relatus in cap. Ipsa pietas , 23. q. 4. Vulnus contra integritatem severitatis ; ut leges integrè , perfectè , & cum omni severitate observentur , debet magna cum circumspectione illarum dispensatio imperitari. Tot enim vulnera possunt multiplicari , ut penitus moriantur , & relaxentur ; uti in multis Congregationibus non sine dolore vidimus : ubi ob facilitatem in dispensationibus enlargiendis , vix sanctissimæ leges subsistunt , vel certè adeò infirmæ , & vulneratæ , ut nullum robur , nullamque integritatem severitatis obtineant. Cum hoc tamen stat , ut non

obstantibus dictis decretis , possint Prælati nostri inferiores ex urgenti causa dispensare in rebus frequenter occurrentibus , ut in jejuniis , abstinentia carniū , &c. dummodo non sit ad multum tempus , nec in rebus gravioribus , quorum non est usus in Religione , ut eorum ab inferioribus dispensatio concedatur.

33. An verò in omni eventū , in quo lex Superioris expressè non reservet sibi dispensationem , possit inferior in tali lege dispensare , aliqui id probabiliter affirmant , quos loco cit. de legib. n. 41. dedimus. Sed oppositum ut probabilius ibi n. 43. sequuti sumus , nisi inferiori expressè , vel tacitè , vel interpretativè talis dispensatio committatur : nam hoc ipso quod eis in jure non concedatur , prohibetur , cap. Cum inferior , de majoris. & obed. Clement. Ne Roman. de election. Si tamen casus sit dubius , quia nimirum dubitatur , an indigeat subditus dispensatione , vel an detur sufficiens causa pro illa , poterit Prælatus eam sine scrupulo impendere , ut ibi n. 45. & 46. diximus. Et sic in dubio , an indigeat subditus dispensatione ad non recitandum officium divinum , ad non jejunandum in diebus præceptis , ad non abstinendum à carnibus , aut lacticiis ; potest Prælatus dispensare , & subditus intà conscientiam omni deposito dubio agere contra præceptum : & idem est si dubium circa sufficientiam causæ ad dispensationem suboritur : quia eorum hoc judicio Prælati committitur ; imò sufficere pro causa , quod subditus dubiter,

Non ex eo, quod lex dispensationem Superiori non reservet, eam concedit inferiori.



ter an indigeat vel non dispensatione? ibidem *num. 46.* diximus.

In quibus legibus Pontificis possunt Praelati dispensare.

34. Possunt etiam dispensare in legibus etiam pontificiis, quae non sint pro tota Ecclesia, sed pro aliqua provincia, civitate, aut communitate. quia hoc ipso quod pro illis tantum ferantur, censentur ad modum legis municipalis, in qua Superior illius provinciae, civitatis, aut communitatis potest dispensare, ut *loco citato* diximus *num. 39.* & praeter ibi citatos tenent *Valentia 2. 2. disput. 7. quaestione 5. punct. 9.* *Setra 1. 2. quaest. 97. art. 4. in fine 1. conclus.* *Azor tom. 1. lib. 5. cap. 15. quaest. 7.* ¶ Etiam in his legibus dispensare possunt, in quibus ex consuetudine habent facultatem; vel quando non est facilis recursus ad Superiorem, & instat casus, ut ibi *num. 4.* diximus. ¶ Possunt etiam dispensare in legibus non magni momenti, ut censentur illae, quae vel non obligant ad culpam, vel solum obligant ad venialem, ut diximus *loco cit. c. 5. n. 38.* & praeter ibi citatos tenent *Sot. loco statim adducendo art. 3. §. At verò.* *Cajetanus 1. 2. qu. 97. art. 4.* ubi ait: quod leve quoad hoc iudicatur, quodcumque ceteris paribus, non praecepto proprie dicto, sed simplici statuto positum est. Et licet obligent ad mortale, possunt dispensare in legibus de rebus frequenter contingentibus, ut in jejuniis, observantia festorum, recitatione officii divini, abstinentia à carnibus, &c. ut ibi *num. 38.* diximus, & praeter ibi citatos tenet *Martinez à Prado loco cit. n. 24.* *Cajet. loco cit. art. 4.* *Sotus lib. 1. q. 7. a. 3.* qui bene hoc limitat, ut intelligatur

pro casibus particularibus, & ad breve tempus, non ad longum, & per totam vitam.

35. Hinc inferitur posse Praelatos regulares dispensare ex justa causa in Regula, & constitutione sui Ordinis, in casibus levibus sive morali non obligantibus, & in his, quae frequenter accidunt, etiam si moraliter obligent; quia pro rebus levibus, vel frequententer occurrentibus datum & in tolerabile esse ad Superiorem recurrere, & per tot tempus illorum beneplacitum expectare; & quia in similibus casibus praesumitur licentia interpretativa, sive à jure, sive à Superiorem, uti ex consuetudine, quae est optima legum interpretis, passim observatur, & docent *Sotus, Prado, Cajetanus, locis cit.* *Tamburin, quem refert & sequitur Lezana in Consilijs, consil. 6. n. 4.* & in *Summ. tom. 1. c. 8. n. 23.* *Pelizar, supr. n. 18.* ¶ Ceterum in nostra Religione aliquarum legum etiam frequenter occurrentium nequeunt Praelati inferiores dispensationem impendere, etiam si ad levem, imò nec ullam culpam obligent; quia in fert Ordinis consuetudo. Et praecipue id contingit in omnibus legibus ad clausuram spectantibus; quae licet frequenter occurrant, nunquam vidimus, vel audivimus, praeterquam à Dissinitorio Generali in illis dispensari. Unde quod è domo alius praeter procuratorem, vel alter loco illius non exeat; quod eodem tempore ad praedicandum extra oppidum duo praedicatores non abeant; quod ad eleemosynas postulandas semper associati incedant; quod per totam

Quadrage-

Qualiter in regula, & legibus propriis possunt Praelati dispensare.

Quadragesimam, vel majorem illius partem unus prædicator, etiam pro munere prædicationis extra monasterium non existat, & alia hujusmodi; etsi ad nullam culpam obligantia, etsi frequentissimè occurrentia, ex consuetudine inviolabiliter observata habetur, quòd nullus, nec R. P. N. Generalis possit in eis dispensare, etiam ad parvum tempus, vel pro casu aliquo particulari; sed hoc duntaxat ad Diffinitorium Generale spectat. In aliis verò frequentibus, & levibus dispensare poterunt nostri etiam immediati Prælati, in quibus mos est apud nos, ut dispensationem impendant; etiamsi illarum dispensatio eis specificè non committatur.

Causæ  
sufficien-  
tes ad li-  
citam, &  
validam  
dispensa-  
tionem  
legum.

36. Causas autem ad dispensandum super hujusmodi observantiis in casibus levibus, & frequentibus, & propriis, si ve sint regulæ, si ve constitutionum, rectè assignat N. Antonius à Spiritu sancto in *Director. Regul. tract. 2. disp. 1. sect. 2. n. 121.* in his verbis. [Prima: tempus; quando videlicet propter solemnitatem alicujus festi oporteat regulæ rigorem mitigare. Secunda: utilitas maximè spiritualis, ut si contingat, quòd si cum aliquo Religioso rigidius juxta regulam, & constitutiones procedatur, timeretur desperatio, vel aliquod magnum peccatum ipsius: tunc enim cum illo mitius est agendum. Tertia: qualitas personæ; sic enim cum Religioso gravi, & benè merito de Religione, dispensare potest in aliquibus punctis, v. g. de cœna in refectorio, & cum occupatur in studiis, de assistentia ad Chorum. Quarta: necessitas

ipsa; sicut enim caret lege, ita petit quando adest, ut dispensetur in jeuniis, & abstinentiis, & similibus. Quinta: pietas; sic enim dispensari potest cum Religioso, ut inutilitatem propriorum parem, ù aliqua efficiat, quæ aliàs secundum regulam, & constitutiones fieri non deberent. Sexta: evitatio scandali; propter quod Prælati prudenter alicui Religioso pecuniam parci ipsi debitam, ne scilicet in civitate scandalum oriatur. Septima: alicujus extranei vitæ offensæ, qui cum sit magnæ autoritatis, offenderetur, si rigor Religionis in aliquibus casibus observaretur. Quæ omnia cum Arzilla, Rosella, Miranda, Salazar, Peyrito, docet Lezana in *Consil. consil. 6. n. 10. & seqq.*

37. Rogabis modò primo, an Prælati regulares ex justa causa dispensare possent, ut Religiosi subditi in diebus festivis laborent? Respondetur affirmativè: quia, ut diximus, possunt respectu subditorum, quod respectu tuorum possunt Episcopi, de quibus posse dispensare in hoc præcepto vacationis à servilibus in die festo, diximus *tract. 11. de legib. c. 5. nu. 38.* Portel. in *dubij's Regular. verbo Abbas, n. 10.* Antonius à Spiritu sancto *nu. 123.* Pellizar. *tract. 9. cap. 3. sect. 4. n. 170.* Sed hic solum dicit posse dispensare cum Religiosis, sed non cum famulis. Sed etiam cum famulis conventualibus, & intra claustra degentibus posse dispensare Prælatos immediatos, ut in die festo laborent, docent Azor *tom. 2. lib. 1. cap. 28. sect. 5. 5. Postremò.* Palaus *tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 10 sine.* Machado *lib. 2.*

Qualitas  
ad labo-  
randum  
in diebus  
festivis  
dispensã-  
re possint  
Prælati.

part. 3. tract. 16. document. 1. Trulench. lib. 3. in decalog. cap. 1. dub. 10. num. 12. Leander de precept. Eccles. tract. 1. disp. 6. q. 70. ¶ Cum extraneis verò solum poterunt dispensare, ut in suis Monasteriis laborent in die S. Crucis Septembris, S. Michaëlis, SS. Innocentium, S. Sylvestri, dummodo non veniant in Dominica, ex privilegio vivæ vocis oraculo Eugenii IV. quod adducit Rodriguez in Bullar. fol. 118. nu. 7. Undè in alijs festis ex vi privilegiorum non poterunt Prælati dispensare, ut in Conventibus suis extranei laborent, etiam si hoc gratis fiat, nisi ex urgentissima causa, & cum Episcopi licentia. Portel. super verbo Laborare, num. 1. Antonius à Spiritu sancto num. 124. ¶ Diximus, non posse ex privilegio; cæterùm ex jure communi excusantur à peccato sæculares, qui gratis laborant diebus festis pro Ecclesijs, pro locis pijs, pro monasteriis pauperum Religiosorum ad illorum ædificationem, vel reparationem, vel in alio opere necessario pro eisdem monasteriis, modò priùs audiat Missa, ut docet Fagundes lib. 1. de 1. Ecclesia precepto, cap. 14. n. 6. & 24. Pasqualig. decis. 287. n. 7. Sylvester verbo Dominica, q. 5. vers. 3. Ioannes à Cruce 1. part. Summ. precept. 3. art. 1. n. 4. & alii, quos refert, & sequitur Leander tract. 1. disp. 6. q. 64.

Qualiter dispensare possint Prælati cum  
38. Rogamus secundo: an Prælati per se, vel per deputatum ab eis Confessariom possint cum sæcularibus conjugatis dispensare in jure petendi debitum, quod amiserant, vel ob incestum commissum cum con-

sanguinea conjugis in primo, aut secundo gradu; vel ob vorum castitatis antè, vel post contractum matrimonium emissum? Respondetur affirmativè, ut diximus tom. 2. tract. 9. de matrim. cap. 14. n. 14. Et non solum posse Provinciales, sed etiam Prælatos immediatos, vel per seiplos vel per designatum Confessariom, diximus ibi num. 15. Imò probabilem ex multorum judicavimus sententiam dicentium, quòd absque deputatione Provincialis, aut Prioris possunt regulares Confessarii in hoc dispensare, ut præter ibi citatos tenet Diana 10. part. tract. 4. resol. 20. Bordon. in Miscellan. dec. 474. Antonius à Spiritu sancto num. 112. ¶ Sed nota, hanc privationem debiti petendi non incurri, neque à muliere, quæ coacta rem cum consanguinea habuit, ut loco citato de matrim. cap. 15. nu. 27. diximus: neque ab illo, qui cum ignorantia juris, aut facti ad consanguineam uxoris accessit: quia videlicet ignorabat esse consanguineam, vel accessum ad eam esse jure speciali Ecclesiastico prohibitum, ut diximus ibi num. 29. Ignorantiam solius pœnæ non excusare, ibidem docuimus, & tract. 10. de Censura, cap. 1. n. 194. & cap. 7. n. 54. Quamvis probabile sit non incurrere hanc pœnam privationis petitionis debiti ab eo, qui illam ignorabat, tenent Doctores, quos supra hoc puncto num. 11. & 13. dedimus, & in nostro casu tenent Quintana de venas tract. 9. singular. 6. nu. 5. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. §. 2. nu. 174. Candidus tom. 2. disquisit. 27. art. univ. dub. 11. Antonius à Spiritu sancto  
174.

tract. 2. disput. 1. sect. 2. §. 3. num. 106.

Qualiter vestimēta sacra, & vasa possint benedicere Prælati ?

39 Rogabis tercio: quid possint Prælati circa benedictionem vasorum, & vestium Ecclesiasticorum ? Respondetur non posse Prælatos regulares, etiam Generales consecrare calices, patenas, aras, & reliqua, in quorum consecratione unctio adhibetur: quia licet hoc possint Abbates ex privilegijs, qui ex illis utuntur insignijs Pontificijs, & alij Prælati communicent in omnibus privilegijs Benedictinis, & Cisterciensibus Abbatibus concessis; non est quoad hoc in alijs Religionibus recepta communicatio, ut ex praxi, & consuetudine constat. Bordonus tom. 1. resol. 17. n. 1. Pellizzar. tract. 8. c. 5. sect. 4. num. 104. N. Lezana tom. 1. part. 1. cap. 18. n. 58. Fragofo 2. part. lib. 11. disp. 4. §. 3. n. 1. ¶ Possunt tamen Prælati regulares etiam immediati benedictione tolemni omnes suas Ecclesias, oratoria, vasa & ornamenta Ecclesiastica benedicere, quando ad hoc chtilma non adhibetur: & easdem Ecclesias, quando pollutæ fuerint sanguinis, aut seminis effusione, reconciliare cum aqua à seipsis benedicta, si consecratæ non sunt; si autem con-

secratæ fuerint, requiritur, quòd aqua sit benedicta ab Episcopo, si per seprem leucas à Conventu existat. Joannes à Cruce lib. 2. cap. 5. dub. 5. conclus. 4. Portel. in dub. Regul. verb. Benedicere. n. 1. & 2. Bordon. num. 2. Fragofo. nu. 21. Diana 6. part. tract. 6. resol. 22. ¶ Imò possunt benedicere omnia ornamenta, & corporalia tam sui Conventus, quàm undequaque venientium, ut ex varijs privilegijs probant Pellizzar. num. 105. 108. & 113. Lezana tom. 3. verb. Benedicere. n. 8. Portel. num. 3. Fragofo. num. 20. ¶ Possunt etiam ex privilegio Innocentij VIII. Bulla 5. intra Conventus suos, non extra benedicere quaslibet imagines, & vasa ad repònendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam propria, quàm extranea. Et ex privilegio Innocentij VIII. & Julij III. possunt etiam benedicere campanas; & cum totum hoc ex jure ordinario illis conveniat, possunt delegare ad omnes prædictas res benedicendas tam subditis, quàm extraneis facultatem. Bordon. resol. 17. n. 2. Pellizzar. nu. 105. 113. & 114. Anton. à Spiritu S. num. 135. & 136.

## PUNCTUM M.

De Privilegijs Regularium in ordine ad  
audiendas confessiones suorum  
Religiosorum, aliorum,  
& secularium.

Quod  
in hoc  
dubio  
pertra-  
ctandū.

40. PUNCTUM certe aggredimur  
latissimum, & difficillimum,  
quia circa illud plures occurrunt &  
gravissima difficultates, quarum re-  
solutionis notitia summo perē est ne-  
cessaria pro praxi quotidiana: præ-  
cipue in Confessariis, quos toto hoc  
cursu instruere nitimur: & ob id il-  
lud in diversos, & plures §§. divi-  
demus, quamvis plura sint à nobis  
præmittenda; quia jam in *tracta-  
tu de Pœnitentia* sunt exarata, agen-  
tes de Ministro illius: alia in *tracta-  
tu de Censuris*, tractantes de illarum  
absolutione, & de dispensatione ir-  
regularitatum; ad quos tractatus non  
semel in præsentem recurrendum erit  
nobis ob connexionem doctrinæ, ea  
attingentes, quæ alibi sunt fufius de-  
clarata. Quare in præsentem de his,  
quæ ad regulares Confessarios per-  
tinent sermo erit, & primò agemus  
de approbatione Episcopi à Regula-  
ribus accipienda, ut possint secularium  
confessiones audire. Deindè,  
quid possint Religiosi Confessarii cir-  
ca alterius Ordinis Religiosos in or-  
dine ad illorum confessiones audien-  
das, & absolvendum eos à reservatis,  
& non reservatis. Postea de his,  
quæ possunt regulares Confessarii re-

spectu Religiosorum pœnitentium  
sui Ordinis. Ac denique de potesta-  
te, quam habent absolvendi seculari-  
res, & cum eis in votis, & irregulari-  
tibus dispensandi.

## §. I.

Quod suis non obstantibus privilegijs,  
tenentur Regulares ab Episcopis appro-  
bationem habere, ut valide, & li-  
cite possint audire confes-  
siones Regularium.

41. PRÆter potestatem Ordinis, Appro-  
bationem quam singuli Sacerdotes in  
sua ordinatione recipiunt, ad alios li-  
gandum, & absolvendum, quæ  
que omninò semper præcedere de-  
bet ex jure divino in quocunque Con-  
fessario, requiritur in eo & potestas  
jurisdictionis, quæ confertur à Superi-  
riori in suos subditos, illis iudicium,  
& sententiam in foro conscientie dare  
de suis propriis ovibus committen-  
te; & legitima approbatio, quæ  
Superior de idoneitate Ministri judi-  
cat, & illum aptum ad tale mini-  
sterium determinat. Hæc autem ap-  
probatio absque jurisdictione stare  
potest, ut patet in eo, qui ad absol-  
vendum à reservatis habet approba-  
tionem, non autem jurisdic-  
tionem; quia hæc soli Superiori reser-  
vatur. Imò in eo reservatio consi-  
stet, quòd ab inferiori auferatur po-  
testas, & iudicium, ne à talibus re-  
servatis possit absolvi, quorum ab-  
solutio soli Superiori cõceditur. Res-  
igitur sunt diversæ, approbatio, &  
jurif-

jurisdictio; illa pertinet ad Ordinem  
justitiæ, & secundum merita debet  
fieri: ob idque injusticiam irrogaret  
examinato, is, ad quem approbare il-  
lum spectat, si postquam judicatus est  
idoneus, illi approbationem denega-  
ret. Sed jurisdictio pertinet ad Ordinem  
gratiæ, quia est facultas gratiosè  
concessa judicandi de suis subditis.  
Sed licet hæc duo separari possint, ut  
in plurimum conjunguntur. Et cum  
jurisdictio, & approbatio ( ut dixi-  
mus) diversa sint; multoies à di versis  
Superioribus provenit: nam licet sæ-  
cularibus Sacerdotibus, & approba-  
tio, & jurisdictio ab Episcopo con-  
cedatur, & idem est de regularibus  
respectu Religiosorum, nam ab eor-  
um Prælati, & jurisdictionem, &  
approbationem recipiunt. At respec-  
tu sæcularium Confessarii Religio-  
sorum approbatione facta ab ordi-  
nario, jurisdictionem recipiunt à  
Summo Pontifice, qui eis diversis in  
privilegiis facultatem præbet, ut  
possint fideles undecumque ad eos  
accedentes confiteri, dummodo ab  
Ordinario loci sint approbati, ut jam  
dicemus.

Nullum 42. Licet olim regulares plura, &  
modo diversa privilegia haberent, etiam in  
extat pri corpore juris inserta, ut absque ap-  
vile- probatione Episcoporum possent  
giu, ut re sæcularium audire Confessiones, ut  
gulares constat ex Extravaganti *Super Cathedram*,  
sine ap- ubi Bonifacius VIII. dedit fa-  
proba- cultatem regularibus, ut solummodo  
tione E. à suis prælati præsentati Episcopis,  
piscopi sæcularium confessiones possent au-  
possint dire; imo Benedictus XI. in alia ex-  
sæcula- travaganti, quæ incipit: *Inter cunctas*,  
riam

de Privil. concessit regularibus audire  
sæcularium Confessiones, etiam sine  
præsentatione, & licentia Episcopo-  
rum; licet hoc indultum Benedicti re-  
vocatum fuerit à Clemente V. & re-  
novatum illud prius Bonifacii, in  
Clem. Dudum, de sepult. Attamen post  
decreum Concilij Tridentini, ut  
Religiosi possint sæcularium Con-  
fessiones audire, omnino requiritur  
præsentatio, & approbatio Episcopo-  
rum: dicit enim Concilium sess. 23.  
cap. 15. *Quamvis presbyteri in sua ordi-  
natione à peccatis absolvendi potestatem  
accipiant, decernit tamen Sancta Syno-  
dus nullum, etiam regularem, posse Con-  
fessiones sæcularium etiam Sacerdotum  
audire, nisi aut parochiale beneficium,  
aut ab Episcopis per examen, si illi vide-  
bitur, esse necessarium, aut alias idoneus  
judicetur, & approbationem, qua gratis  
detur, obtineat; privilegium, & consuetu-  
dine quacumque, etiam immemorabile  
non obstantibus, &c.* Cæterum, quia  
post hoc Tridentini decretum, ali-  
quibus Religiosis à Pontificibus con-  
cessum est, ut audire possent Con-  
fessiones sæcularium examine Episco-  
porum non præcedente; Urbanus  
VIII in Bulla edita anno 1629. quæ  
habetur in 4. tom. Bullar. inter constitut.  
hujus Pontificis, num. 92. revocavit, &  
annullavit omnia, & quæcumque  
privilegia; quibuscumque Religioni-  
bus, & Societatibus, quoad hoc con-  
cessa. Quare in præsentiarum nullum  
extat privilegium, ut sine approba-  
tione Episcopi possint regulares au-  
dire Confessiones sæcularium: & si  
fecerint, nihil facient, nisi gra-  
visimum peccatum sacrilegij: Con-  
fessio-

Confes-  
siones  
audire,

fectiones vero erunt omnino nullæ, irritæ, & inanes, in quo omnes Doctores conveniunt. ¶ Et loquimur de Confessionibus circa peccata, quæ sunt materia omnino necessaria pro Confessione, ut sunt peccata mortalia aliàs non ritè confessã; nam de peccatis venialibus, & de mortalibus jam confessis posse simplicem Sacerdotem, id est ab Episcopo non approbatum, Confessiones audire, omnes tenent, & nos diximus *tract. de Penitentia*. Et loquimur extra articulum mortis; nam in eo; imo in mortis periculo posse quemlibet Sacerdotem simplicem, quemcumque fidelem, à quibuscumque casibus & censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis pœnitentem absolovere, eodem *tract. de censuris* latè diximus.

Sententia asserens posse Prælatos regulares non approbatos ab Episcopis secularium Confessiones audire.

43. Sed modo inquires primo: an Prælati regulares possint audire secularium Confessiones sine Episcopi approbatione? Affirmat satis probabiliter prima sententia: nam Concilium eximit ab examine, & approbatione Episcoporum parochiale beneficium habentes: sed Prælati regularium habent quodammodo beneficium parochiale; sunt enim parochi suorum subditorum, & beneficium cum animarum cura habere dicuntur; siquidem hoc in eo consistit quod illud possidens habeat quibus ex jure ordinario sepulturam, & Sacramenta ministret, & quibus doctrinam impertiatur, eosque in spiritualibus instruat: ergo. ¶ Nec satis est dicere hoc solum probare, quod sicut parochus solum respectu suorum parochianorum non indiget approba-

tione Ordinarij, sic nec Prælati respectu suorum subditorum, non vero respectu secularium. ¶ Contra est: quod cum parochus non habeat jurisdictionem à Pontifice, sed ab eo, à quo accipit approbationem, in collatione beneficij parochialis exhibitam, sicut solum pro parochianis illam accipit; ita solum ad eos jurisdictiono extenditur. Prælati autem regularis habet à Pontifice jurisdictionem, supposita approbatione, vel sine ea cum parochiale beneficium accipit, & ideo talis potestas jurisdictionis, non solum ad suos subditos, sed etiam ad seculares extenditur. Sic Doctissimi Magistri Salsmanticenses Gallus, Mantius, Medina, quos refert Henriquez *lib. 6. de Penitent. cap. 6. num. 2. in Gloss. littera E. & F. & lib. 7. de Indulgent. cap. 12. in gloss. littera K. Barnab. Gallego in Bulla Cruciat. cap. 9. dub. 84. Delgadillo de Penit. cap. 19. dub. 34. Nunno in addition. ad 3. part. quest. 8. art. 5. dub. 8. in solut. ad 9. argument: Ludovicus de S. Joan. quest. 6. de Penit. art. 6. dub. 4. pagin. 467. Joannes Valerius in differentia utriusque fori, verb. nullitas, diffi. 5. n. 3. Hieronym. Llamas 1. part. methodic. 6. 5. 6. & 7. pagin. 63. Bruno Calaing. de priv. regul. part. 2. tract. 5. cap. 2. propos. 1. Et probabilem dicunt Antonius à Spiritu sancto in Director. Confessar. tom. 1. tract. 5. disp. 18. sect. 4. num. 861. Thomas Hurtado tract. 2. cap. 1. dub. 2. n. 1848. Ludovicus à Crace in expositi. Bulla. disputat. 1. cap. 2. dub. 11. num. 8. Angelus Bossius tract. de Jubilæo, casu 2. §. 2. num. 53. Martinus à S. Joseph.*

Quid  
se  
sequitur

in monitis Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 24. de Pœnit. num. 19. Celspedes de exempt. 6.6. n. 141. Diana 5. p. tract. 12. resolut. 52.

Quid ex dicta sententia sequatur.

44. Ex hac sententia inferitur primo. Quod in sententia illorum, qui dicunt posse semel approbatum absolvi, per bullam eligi in Confessarium, à quocumque illam recipiente, posse Prælatum regularem hoc modo eligi, tamen si ab Ordinario non sit approbatus; quia jam est simpliciter approbatus in ipsa assumptione ad prælaturam. ¶ Sequitur secundo: in sententia eorum, qui dicunt regularem ab Episcopo approbatum, posse in quacumque Diœcesi sæcularium Confessiones audire, etiam si ab Episcopo illius Diœcesis approbationem non habeat, de qua infra n. 71. quod Prælatus in quacumque Diœcesi existens, potest fidelium illius Diœcesis Confessiones audire sine alia licentia Ordinarij ob eandem rationem. ¶ Sequitur tertio: quod in sententia illorum, qui dicunt parochos, qui beneficium parochiale habuerunt, sed jam non habent, possunt adhuc eligi in confessores virtute Cruciatæ, eo quod approbatio, quæ parochos simul cum beneficio parochiali concessa fuit, adhuc perseverat, & sola jurisdictione cessavit. Quod docent Thom. Hurt. tom. 2. tract. 12. c. 1. resolut. 34. dub. 3. n. 1878. Manuel. Rodrig. in addit. ad Bullam. §. 9. n. 4. Villal. tom. 2. tract. 27. clausul. 9. §. 1. num. 4. & tract. 9. de pœnit. diffic. 55. n. 4. Mendo in bull. disp. 22. cap. 2. num. 34. Acosta in explicat. bulla. q. 39. Petrus Fay in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. dist. concl. 4. ad 3. & probabilem putat Joannes de la Cruz

part. 2. de Pœnit. q. 5. dub. 8. concl. 4. Ita etiam Prælati regulares, qui semel aliquis Conventus Superiores locales existerunt, possent de cætero, etiam finito munere, ubique eligi virtute bullæ cruciatæ.

45. Sed probabiliorem sententiam negativam judicamus, eo quod prælatura etsi æquiparetur parochiali beneficio quoad curam animarum (nam sicut parochus suarum ovium curam gerit, eis doctrinam, & sacramenta ministrat, & post mortem sepultura tradit; sic Prælatus respectu suorum subditorum eandem curam subit) verum tamen non est beneficium parochiale: quia hoc ex communi sensu Doctorum est jus percipiendi redditus propter officium ministrandi subditis sacramenta, quod minime in prælatis reperitur. Ideoque sub nomine beneficij non venire prælaturas regulares docent ex communi sententia Rodr. tom. 2. q. 26. art. 2. Bonac. q. 7. de Simonia p. 1. punct. 1. §. 2. n. 4. & punct. 2. n. 24. Cum ergo Concilium solum eximat ab examine Episcoporum eos, qui parochiale beneficium habuerint; sequitur prælatos sine Episcopi approbatione non posse audire Confessiones sæcularium. ¶ Quod instatur manifestè: quia etiam Prælati regulares dicuntur habere jurisdictionem quasi Episcopalem, & sic suo modo essent respectu suorum subditorum quasi Episcopi; & nullus dicit post decretum Trid. & Bullam Urb. VIII. posse venire nomine Episcoporum, à quibus debeant Confessarij pro sæcularibus approbationem recipere; ergo quando

Prælati regulares nisi approbati sint ab Episcopis, nequeunt sæcularium audire confessiones



do excipit parochiale beneficium habentes, non veniunt nomine parochorum Prælati, etsi alias respectu suorum subditorum quodammodo parochi dicantur. Ita tenent omnes, quos diximus oppositam sententiam probabilem reputare, qui huic, ut probabiliter adherent. Et insuper Cardinalis Lugo de pœnit. disp. 21. n. 9. Dicastillo de pœnit. disp. 10. dub. 9. num. 165. Leander à SS. Sacramento de pœnit. disp. 11. q. 62. Math. de Moya in select. tract. 3. disp. 7. q. 3. Petrus de Ledelm. c. 13. de pœnit. diff. 4. & 6. post primam conclus. Vincent. Candid. disp. 24. art. 64. n. 5. Mendo in Bull. disp. 22 c. 2. n. 30. Suarez de pœnit. disp. 28. sect. 4. num. 21. Quintanadennas de jubileo duar. hebdomad. cap. 1. Bordon. tom. 2. resol. 36. n. 55.

Status  
difficul-  
tatis pro-  
ponitur,  
& quid  
sit in hac  
materia  
certum  
declara-  
tur.

46. Inquires secundo: an regula-  
ris approbatus ab Episcopo pro Con-  
fessione secularium, possit eas validè  
audire, & absolvere, si à suis Prælati-  
s præsentatus non sit, sed ab ipsis, vel à  
suis legibus prohibitus? & quidem  
talem Religiosum, cui prohibitum est  
à suis prælati, vel legibus audire  
Confessiones secularium, sine præ-  
latorum licentia, & approbatione,  
peccare illas audiendo graviter, vel  
leviter juxta obligationem præcepti  
Superioris, vel legem, omnes tenent:  
quia justè, & legitime Prælati possunt  
hoc ministerium, quod magnam pe-  
nitiam, prudentiam, & gravitatem  
morum exflagitat, Religiosis prohi-  
bere, nisi habeant qualitates studio-  
rum, scientiæ, & integritatis vitæ,  
quas Religio in ministris hujus Sa-  
cramenti requirit; si excipias casum

periculi mortis; quia tunc ex tacita li-  
centia Prælatorum possunt solum ab  
Episcopis approbati, imo simplices  
Sacerdotes omnium confessiones li-  
cité audire; & si hoc etiam prohiberet  
Prælati, esset irrationabilis prohibi-  
tio, ad quam non esset attendendum.  
Quærimus ergo, an hic validè possit  
secularium excipere Confessiones.  
Et dicimus *Secularium*: nam Religio-  
sorum non posse nec validè confes-  
siones audire, indubitatum est, sicut  
nec alij simplices Sacerdotes: quia  
Episcopi illos approbantes non pos-  
sunt eis dare jurisdictionem in ex-  
emptos, quia hæc solum potest, vel à  
Prælati jure ordinatio illam habentes,  
provenire, vel à Summo Pontifi-  
ce per privilegia; hæc tamen semper  
dantur cum dependentia quoad eor-  
um usum à Prælati, & ab statutis  
Religionum, ut latius ex communi  
sententia infra dicemus. Et hinc const-  
tat, non posse sic approbatum ab  
Episcopo, sine licentia prælatorum  
seculares absolvere validè à casibus,  
quibus alij ordinarij Confessarij se-  
culares non possunt, nec virtute pri-  
vilegiorum Ordinis quidquam effice-  
re, nec in votis, aut irregularitatibus,  
aliove pœnis cum eis dispensare: hoc  
enim possunt regulares à Religione  
expositi, & à Prælati designati: hi  
enim ut Confessarij Religiosi, religio-  
nis privilegijs funguntur; illi vero  
minime: & sic ad summum possent,  
quod alij seculares Confessarij ab E-  
piscopo in suas oves jurisdictionem  
obtinentes. De hoc ergo ultimo da-  
bitur, an possint validè secularium  
audire confessiones, sicuti alij Confes-  
sarij seculares.

Probabilis est sententia negans validas esse confessiones, quas Religiosus à suis Prælati non approbatus, audit.

47. Prima sententia est negativa, & satis probabilis. Et probatur primo: jure antiquo in *Clem. Dudum, de sepulch. & in extrav. Bon. VIII. super cathedram, & Benedicti XI. Inter cunctas de priv.* semper fuit Superiorum licentia, & approbatio regularibus necessaria, pro audiendis: sed dicta privilegia seu jura revocata non sunt à Tridentino quoad hanc partem; siquidem istud petens pro audiendis confessionibus sæcularium approbationem Episcopi, non tollit id, quod ex jure antiquo requirebatur; nimirum approbatio Prælati. Secundo: quia Episcopus sine licentia Prælati, Religiosi exponendi, non potest eum approbare; siquidem examen, & approbatio est actus jurisdictionis, quam Episcopus exercere non potest in Religiosum exemptum, nisi fiat ei subditus per præsentationem sui Prælati. Hanc tenet N. Reverend. Theodorus Stratus *Instruct. pro Carmelitis, cap. 6. n. 2. & sequent.* Henriquez, Fagundez quos refert, & sequitur Palau *tr. 23. disp. unic. punct. 17. §. 1. n. 7.* Bordon. *tom. 2. resol. 36. n. 42.* Bossius *de jubileo, sect. 3. casu 2. n. 186.* Portellus *verb. Confessor quoad regulares n. 9.* Sylvester *verb. Confessor 2. n. 2. §. 2.*

Probabile est, esse validas confessiones, quas Religiosus approbatus ab

48. Hæc licet probabilis sit, imo securior sententia, quam omnes regulares in praxi sequi deberent; probabilis nihilominus, imo communis, est affirmativa sententia. Quia in regulari ab Ordinario approbato, datur quidquid requiritur ut validè sæcularium possit Confessiones audire: habet enim & potestatem Ordinis, & approbationem Episcopi pe-

titam à Concilio, & jurisdictionem ab eo acceptam: & hanc posse Episcopum erga suos subditos, regularibus concedere independentè à suis Prælati, competere est: quia habet illam jure ordinario, ac proinde cui voluerit, si idoneum eum judicaverit potest eam delegare: ergo valide possunt Confessiones audire, non quidem ut regulares, & jurisdictione accepta à Pontifice per privilegia, sed ut delegati Episcopi, ut alij Confessores sæculares. Eo vel maximè: quia Tridentinum assignando quod pro Confessoribus sæcularibus, vel regularibus requireretur ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, solum assignavit præter potestatem Ordinis, Episcopi approbationem, nihil de licentia, aut facultate Prælati requirendo: ergo dicta sufficient, ut regularis validè possit audire confessiones sæcularium. Per quod ad argumenta contraria constat. Nam hoc ipso, quod Concilium subjecerit regulares exemptos Episcopis quoad approbationem, non petita Prælati licentia, possunt Episcopi in illos jurisdictionem in actu examinis repetam exercere, non præsupposita præsentatione Prælati. Candidus *tom. 2. disquisit. 24. art. 56. dub. 11.* Grassi *1. p. lib. 1. c. 13. n. 88.* Delbene *tom. 2. c. 14. dub. 18. n. 1.* Zerola *c. 16. de Pœnit. q. 7.* Antonius à Spiritu S. *in direct. regul. tr. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 20.* Pellizz. *tom. 2. tr. 8. c. 3. sect. 1. n. 17.* Lez. *tom. 1. c. 19. n. 12. & tom. 3. verb. Confess. n. 2.* Homobonus *p. 2. resp. 102 §. d. xi.* Peyr. *tom. 2. de subdit. q. 1. de obed. c. 22. concl. 2.* Mirand. *tom. 1. qu. 45. art. 12.*

Episcopo, sed non expositus à suis Prælati, audit.

D d d d

Layman.

Layman. lib. 5. tract. 6. c. 10. n. 19. Rodr.  
tom. 1. qu. 60. art. 3.

## §. II.

De illis, qui possunt sibi Confessarium eligere ab Episcopo non approbatum.

Religio-  
si de li-  
centia  
suorum  
prælato-  
rum, Sa-  
cerdoti  
simplici  
possunt  
confiteri

49. **Q**uicumque secularis, qui vel à Pontifice ob speciale indultum, & privilegium, vel à suo proprio Prælato facultatem accipit eligendi sibi idoneum Confessarium, debet omnino talis esse ex approbatione ab Episcopo; etiam si hoc in bulla, aut privilegio non exprimitur; semper enim subintelligitur: quia in generali concessione non veniunt, quæ Superior non concederet, si rogaretur. Specialiter: nunquam autem Summus Pontifex hanc facultatem præbet, nisi eligendi jam approbatum; & si ad non approbatum peteretur, eam proculdubio negaret. Maxime: quia existat in oppositum decretum Concilij, cui nunquam derogatur, nisi cum expressa mentione illius. ¶ At regularis, si vel à Pontifice, vel à suo Prælato, qui potest dare in subditos jurisdictionem, licentiam eligendi confessarium, quem voluerit, tacitam, vel expressam accipiat; potest etiam simplicem Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, eligere: quia hoc ex jure antiquo Religiosi habebant, ut de licentia suorum prælatorum possent cuilibet confiteri; uti ex communi sententia docent Suarez disp. 28. sect. 4. n. 5. Lugo disp. 21

n. 2. Diana tertia parte, tract. 2. resol. 3. & 30. & part. 8. tractat. 1. resol. 86. Thomas Hurtad. resol. moral. tom. 2. tractat. 12. cap. 1. §. 2. dub. 5. nu. 2071. Leander tom. 1. tract. 5. disp. 11. qu. 45. Antonius à Spiritu sancto in Director. Confessar. tr. 5. disp. 12. sect. 19. num. 830. Dicastillo disp. 10. n. 417. & nos fufius dicemus, circa quos nihil Concilium innovavit, quia solum loquitur de Confessoribus sæcularium, ut patet ex ejus verbis.

50. Hinc fit posse modo omnes Prælatos regulares, Generales, Provinciales, Priores, seu immediatos Conventuum Prælatos, Vicarios, & quoscumque Conventuum præfidentes eligere sibi confessorem, quem voluerint, etiam simplicem Sacerdotem, sive illius Ordinis, sive extraneum, tam sæcularem, quam regularem: quia hoc illis conceditur in cap. ultim. de Pœnitentiis, & remissionibus, ubi dicitur: Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum imminet animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatibus exemptis, etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi posse eligere confessorem. Quod indultum minime revocatum fuit à Tridentino: quia in eo solum est sermo de Confessore sæcularium. Et licet in eo textu, providum, & directum Confessorem electum debere esse dicatur; sed non requiritur, nec petitur, quod talis per examen, aut judicium Episcopi judicetur; sed quod alias sit talis secundum judicium illius eligentis. Sic ex communi sententia Sylvestri verbo Confessor. 1. q. 8. Suarez disp. 27. sect. 8. n. 10. Moya tract. 3.

tract. 3. disp. 7. quast. 2. num. 5. Lugo  
disp. 19. n. 4. Diana. 3. p. tract. 2. resolut.  
1. & 4. part. tr. 4. resolut. 1. N. Antonius  
à Spiritu sancto in Director. regul. 1.  
parte, tr. 2. disp. 1. num. 16. & in Director.  
Confes. tom. I. tract. 5. disp. 12. sect. 1.  
n. 832. Bordon. tom. 2. res. 34. n. 18.  
Rodrig. qq. regul. tom. 19. 13. art. 10. &  
q. 17. art. 4.

Posse  
parochos  
simplicem Sa-  
cerdotem sibi  
in confessa-  
rium eligere, ali-  
qui dicunt.

§ 1. Et si occasione hujus inquit-  
tas, an etiam Parochi possint sibi eli-  
gere confessorem simplicem Sacer-  
dotem ab Episcopo non approba-  
tum, regularem, vel sæcularem, virtu-  
te supradicti privilegij? Aliqui affir-  
mant propter illud verbum: *Necnon  
minoribus Prælatiis*, sub quo nomine  
parochi dicunt intelligi, qui suorum  
subditorum sunt Prælati minores  
comparatione ad Episcopos, sicut  
Prior comparatione ad Provincialem  
est minor Prælatiis; & cum privi-  
legium sit favorabile, ample est in-  
terpretandum: quod revocatum non  
est per Tridentinum, quia est in cor-  
pore juris insertum, cui non derogat-  
ur per subsequentem dispositionem  
contrariam, nisi fiat de illo expressa  
mentio, quæ in præsentibus non invenit-  
ur. Sic N. Antonius à Spiritu sancto  
*loco citat, ex Director. Confess. num. 835.*  
Sylvester *sup. Palqualig. decis. 105. n. 5.*  
Margarita *Confess. fol. 156.* quam re-  
fert, & sequitur Vega *1. part. Summ.  
cap. 75. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2.  
§. similiter, & art. 3. §. Postremum.* Vin-  
centius Baronius *p. 2. contra Ama-  
deum disp. 1. sect. 3. fol. 245.* & probabi-  
lem dicit Suarez *tom. 4. in 3. part. disp.  
28. sect. 2. n. 7.* Bassæus *verbo Confessa-  
rius 2. n. 11.* Christophorus à S. Jo-

seph *verbo Conf. 4. part. Sacram. Pœn.  
de ministr. dub. 4. n. 17.*

§ 2. Et hanc amplecti tenentur Sunt qui  
omnes, qui dicunt, posse parochum asserunt  
post Tridentinum, Sacerdotem sim- posse pa-  
plicem non approbatum ab ordina rochum  
rio exponere ad audiendas suorum simpli-  
Confessiones: quia potest parochus, cem Sa-  
eum pro se eligere Confessorem, cerdo-  
quem pro subditis exponit, ut Præla- tem ex-  
tus potest licentiis uti, quas subditis ponere  
concedit; & concedere confessario, ut ad audi-  
eum absolvat, vel cum eo dispenset in endas  
his, in quibus ipse cum aliis dispen- suarum  
re valer. Ut cum D. Thoma in 4. dist. ovium  
20. quast. 1. art. 5. q. 4. ad 1. docent confes-  
communitur Doctores. Quod autem siones.  
parochus possit simplicem Sacerdo-  
tem exponere ad audiendas suorum  
Confessiones, tenent Soto *loco citato,*  
*art. 3. §. Postremum.* Thomas Hurtad.  
*tom. 2. resolut. moral. tract. 12. cap. 1. nu.*  
*2024.* Mag. Gallo Mag. Joannes de  
Orellana, & alij Doctissimi Magistri,  
quos refert, & sequitur Petrus de Le-  
desma *in Summ. tom. 1. de Sacrament.*  
*Pœnitent. cap. 12. conclus. 5. §. la segunda*  
*sentencia.* Ludovicus de S. Joan. *quast.*  
*6. de Pœnit. art. 2. difficult. 12.* & ut  
probabilem amplectitur M. Joannes  
à Cruce *in direct. part. 2. de Sacrament.*  
*pœnit. quast. 5. dub. 6. conclus. 2.* & pro-  
bant *ex cap. Placuit, 6. omnis utriusque*  
*sexus, de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex  
facultatem concedit parochis, expo-  
nendi pro subditorum Confessionibus,  
quemlibet Sacerdotem pruden-  
tis iudicio idoneum, absque alia ap-  
probatione. Quæ privilegia per Tri-  
dentinum revocata non sunt, cum de  
illis non faciat mentionem, prout ne-

Dddd 2 cessa-

cessarium erat ut derogaret privilegio in jure communi inserto.

Post 53. Sed dicendum est non posse Tridentinum, post Tridentinum, sibi Confessorem simplicem Sacerdotem eligere, nec pro suis subditis simplicem Sacerdotem exponere. Prima pars probatur. Tum: quia parochi nunquam simpliciter, & absolute in jure dicuntur Prælati; quin potius in eo aperte fit distinctio inter eos, & Prælatos, ut patet ex *Clementin. Dudum de sepulturis*. Tum etiam: quia esto lato nomine Prælatorum parochi venire possent; non ob id parochi privilegio illo concessio in *cap. ultim. de pœnit. & remiss.* perfrui valerent: quia illud non quibusvis Prælati inferioribus confertur, sed minoribus Prælati exemptis, ut sunt Prælati Religionum: curati autem non sunt exempti ab Episcoporum jurisdictione. Tum denique: quia sic decisum est ab Alexandro VII. die 24. Septemb. anno 1665. ubi inter alias propositiones, quas Pontifex damnavit ut scandalosas, & sub pœna excommunicationis prohibuit, una est: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario*. Quare nostram conclusionem tenent quoad hanc primam partem, Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 28. sect. 2. num. 7.* Moya *disp. 7. q. 2. s. 2.* Granada *tract. 10. de pœnit. disp. 15. n. 4.* Molfesius *tract. 7. c. 15. n. 38.* Ægidius *disp. 2. num. 61.* Gaspar Hurt. *de pœnitent. disput. 10. difficult. 13.* Quoad secundam vero partem assertio probatur. Tum: quia hoc ipso,

quod Pontifex damnavit illam propositionem, videtur condemnare eam, ex qua illa manifeste sequitur, ut *numer. precedent.* dicebamus. Tum etiam: quia esto illa jura non essent revocata per Tridentinum, quod falsum est, ut infra dicemus; id necessarium non erat, ad novum jus statuendum: quo Tridentinum sancivit nullum secularem, nisi cum approbato ab Episcopo, posse confiteri; quia parochis ablatum non est privilegium, & facultas, quam habebant ex illis juriibus delegandi pro suis subditis jurisdictionem Sacerdoti idoneo; sed Concilium declaravit, quis in posterum, pro secularibus, confessor idoneus, seu ut in dictis textibus habetur, *providus, & discretus* judicandus sit; nimirum, *qui ab Episcopo fuerit approbatus*. Qua declaratione semel polita, nequit parochus alteri jurisdictionem delegare. Sic Suarez *disputat. 2. h. sect. 4. nu. 11.* Fagundez *de 2. præceptis Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 43.* Joannes Santius *in select. disput. 48. numer. 11.* Matthæus de Moya *num. 23.* Campensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tractatu 24. disputat. 5. sect. 7. num. 64.* Martinus à S. Joseph *in monitis Confess. tom. 1. lib. 1. tractat. 24. numer. 5.* Diana *3. p. tract. 4. resol. 146. & p. 10. tractat. 16. resol. 75.*

54. Cum hoc tamen stat posse parochum pro se, & pro suis subditis alteri parochi jurisdictionem conferre, & cum illo libere confiteri; Immo pro se, & pro suis ovibus quemcumque sacerdotem eligere ab Episcopo approbatum; etiam si jurisdictionem

jurisdictionem non habeat in illa diocesi; immo nec alibi: quia ad delegationem jurisdictionis acceptandam, quam delegare potest parochus, utpote de jure ordinatio illam habens, solum requiritur in sacerdote ex Tridentino vel approbatio Episcopi, quia iudicatur idoneus, seu providus, & discretus, vel quod beneficium habeat parochiale. Ita pro validitate alterius parochi expositione tenent Henricus lib. 6. cap. 8. num. 2. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. numero 4. Suarez disp. 28. sect. 4. num. 28. Bossius de jubileo sect. 3. casu 2. §. 4. n. 126. Thomas Hurtado, tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 2026. & pro cujusvis approbati expositione sive ab Episcopo diocesano, sive ab alio quopiam Episcopo, Moya tract. 5. disputatione 7. questione 2. num. 26. Navarr. Trullench. Henriquez, Joan. de la Cruz, quos refert. & sequitur Leander, tractat. 5. disputatione. II. quest. 59.

Regulares de licentia sui Prælati possunt confiteri cuilibet simplici Sacerdoti. Jam diximus supra posse religiosos sive intra conventum, sive extra illum cuilibet sacerdoti simplici confiteri de licentia sui prælati, qui potest circa hoc licentiam præbere, qui apud nos est solus Provincialis, vel ex ejus commissione prælatus immediatus; virtute cujus, iste cum extra domum mittit religiosos, tacite illis hanc licentiam impertitur; ex interpretativa facultate, & licentia: non autem requiritur, quod confessor ab ipsis electus, sive secularis fuerit, sive regularis, sit ab Episcopo approbatus: quia ante Tridentinum poterant ex privilegijs religiosi, de licentia suorum prælatorum, cuilibet

sacerdoti simplici confiteri: sed circa religiosos nihil innovavit Tridentinum, quod solum loquitur de secularibus: ergo, &c. Sic communiter Doctores, quos, num. 49. dedimus, & præter eos tenent Palaus tract. 13. de Pœnit. disp. unic. punct. 17. §. 2. Bassæus confess. 2. num. 5. Dicastillo disp. 10. dub. 9. num. 237. De bene tom. 2. cap. 14. disp. 18. sect. 11. num. 3. Bruno tract. 5. cap. 6. prop. 1. ¶ Diximus de licentia Prælati: quia absque illa, nulli sive extra domum, sive intra domum possunt confiteri: quia sine illa, nullam habet confessor in pœnitentem jurisdictionem, etiam si sit ab Episcopo approbatus. Qui sicut non habet jurisdictionem in religiosos exemptos, non potest eam ulli concedere: nec ex vi privilegiorum possunt religiosi confessorum à suo prælato non approbatum eligere. Quia Pontifices privilegia concedentes, nolunt statuta religionum invertere, nec disciplinam monasticam minuere; sed potius favere. Et ideo semper illa concedunt quoad usum, dependentem à Prælati; ne privilegium in favorem religionis concessum, in ejus convertetur dispendium. Quare si alicui simplici sacerdoti, vel etiam approbato ab Ordinario, contra statuta, vel mandatum Superioris religiosus confiteretur; nulla esset talis confessio. Sylvester. Confessor. 3. n. 6. Joannes à Cruce in Epitom. lib. 2. cap. 2. dub. 3. Lezana tom. 1. c. 18. n. 26. & 27. & 10. 3. verb. Confess. n. 11. & 20. Corolian. p. 1. de casib. reserv. sess. 3. art. 19. Palaus n. 8. Pellizz. n. 9. Bordon. resol. 36. n. 35 Bruno prop. 1. citata.

D d d d 3 56. At

Quid non  
circa  
prædicta  
ex jure  
nostro  
habeatur

56. At si alicubi consuetudo vigeat, videntibus, & consentientibus prælatis, ut religiosus intra vel extra domum cum quolibet sacerdote confiteatur, poterit cum sacerdote simplici sæculari, vel regulari, suæ, vel alterius religionis, confiteri: quia hoc ipso censetur Prælati licentiam præbere. Apud nos autem nulla talis reperitur respectu Sacerdotis simplicis nostræ religionis, cum in nostris constitutionibus 2. part. capite 6. numero 5. dicatur: *Innitentes tam juri communi nostrisque statutis, atque antiqua consuetudini, quam Pontificum privilegiis, declaramus Sacerdotes simplices nostræ religionis (illos videlicet, qui Provincialis, vel Generalis licentiam, & approbationem non habent) nullam habere jurisdictionem, ad audiendas confessiones fratrum, etiam Sacerdotum. Et si forte ratione consuetudinis esset quoad hoc aliqua tacita licentia, illam presenti decreto annullamus: decernentes, ut à nullo prælato præter P. Generalem, vel Provincialem unquam licentia concedatur: aliàs sit nullius roboris, & momenti. Quod intelligi volumus sive intra, sive extra conventum existant: proindeque nullus religiosus, etiam Sacerdos alicubi eum confiteri possit.* Circa quam constitutionem infra nonnihil dicemus. Et non esse contra illam, quod extra domum Sacerdoti simplici sæculari, vel regulari alterius religionis, declarabimus.

Novitij, famuli, commensales religiosi.

57. An vero novitij, vel qui mox ingressuri sunt religionem, necnon famuli commensales conventus possint ex vi supradictorum privilegiorum confiteri Sacerdoti, ab Episcopo non approbato? Respondetur af-

firmativè. Quia omnes dicti in favorabilibus veniunt nomine religiosorum: & de famulis constat ex Trid. sess. 24. c. 11. ubi eximit eos à jurisdictione Episcoporum, qui gaudent religiosorum immunitate. Maximè quoad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, ut constat ex eodem Tridentin. sess. 25. cap. 11. circa quæ in favorabilibus semper intelliguntur nomine religiosorum. Et ita declarasse Sacram Congregationem die 14. Augusti, anno 1665. testatur Peyrin. tom. 2. privileg. constitut. 1. Julij II. num. 12. Quare licet pro sæcularium audiendis confessionibus, requiratur Tridentinum approbationem Episcopi in Sacerdote; non pro his, de quibus loquimur, qui privilegiis funguntur regularium. Bordon. tom. 2. resolut. 34. num. 41. Lezana tom. 2. c. 16. n. 6. Antonius à Spiritu sancto in direct. confess. tract. 5. disp. 13. sect. 2. n. 858. & in direct. regul. tract. 2. disp. 3. sect. 1. n. 5. Magala 1. part. l. 1. c. 8. n. 20. Peyrin. loco citat. Barbosa de jure Eccles. lib. 1. c. 43. n. 204. Bassaus n. 5. Cespedes de exempt. c. 6. disp. 12. §. à nu. 4. Fernandez in exam. Theolog. mor. part. 3. cap. 9. §. 6. n. 1. §. Ex quo fit posse confessarium regularem, etiam ab Episcopo non approbato illos absolvere à casibus Episcopis in specie reservatis, sicuti potest religiosus: quia funguntur religiosorum privilegiis. Cespedes, Peyrin. Antonius à Spiritu sancto locis citatis. Cæterum cum ipsi non sint absolute religiosi, & alias nemo teneatur uti privilegio, cap. Ad Apostolicam de regularibus, cap. si terra, de privilegiis; poterunt si voluerint,

rum pol  
sunt cum  
non ap  
probato  
ab Episcopo  
conferunt

Et  
fi  
gi  
lin  
no  
po  
no  
pr  
co

Pr  
fel  
bu  
ni  
ap  
ba

rint; etiam non expectata licentia Prælati, cuilibet extraneo ab Episcopo approbato, sicut alij sæculares confiteri. Sanchez l. 9. de Matrim. disp. 2. num. 7. Bordon. tom. 2. resolut. 34. num. 41.

Equites sive religiosi. 58. Sed modo est duplex difficultas. Prima, an Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, de Avis, Montelæ, & alij, possint confiteri Sacerdoti non approbato ab Ordinario, sed à suis Superioribus exposito, vel secundum sua statuta? Aliqui affirmant. Tum: quia tales Equites veri sunt religiosi. Tum etiam, quia esto non sint tales, in favorabilibus veniunt nomine religiosorum, & gaudent illorum privilegiis, ut diximus supra tract. 15. cap. 1. numer. 70. Sic Joannes Sanctius, Hieronym. Garcia, & Diana, quos ibi num. 71. dedimus. Quibus adde Bordon. resolut. 36. n. 70. Delbene tom. 2. c. 14. dub. 18. sect. 11. n. 4. Thomas Hurtad. tom. 2. tract. 12. c. 1. §. 2. dub. 5. n. 2072. Sed nos oppositum cum Lezana sequuti sumus: quia licet ex rigore, & vi privilegiorum id possent; tamen in oppositum adest consuetudo, & communis sententia, ut fatetur ipse Diana 2. p. tract. 2. resolut. 30. & 8. p. tract. 7. resolut. 96. Bassæus nu. 5. P. Amicus tom. 8. disp. 15. sect. 3. n. 97. Anton. à Spir. S. sup. n. 857.

Pro confessoribus monialium approbatio. 59. Major est secunda difficultas. An approbatio Episcopi requiratur, pro audiendis monialium confessionibus, quæ sunt regularibus subjectæ? propter constitutionem Gregor. XV. quæ incipit: *Inscrutabili*. edita 15.

Februarij 1622. ubi dicit: *Confessores quomodocumque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij, ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diocesano idonei judicentur, & approbationem, qua gratis conceditur, obtineant.* Accedit Sacræ Congregationis declaratio, quæ in fine dictæ bullæ habetur, & ad longum refertur à Bordon. tom. 2. resolut. 36. à n. 73. Sed dicendum est posse confessarios monialium exemptarum, sive sæculares sint, sive regulares, illarum confessiones audire, dummodo approbati sint ab illarum ordinario, licet non ab Episcopo. Et ratio est: quia secundum privilegia antiqua id poterant omnes regulares utriusque sexus, confiteri videlicet cuicumque Sacerdoti à suo ordinario prælato approbato: sed Concilium Tridentinum circa hoc nihil innovavit, quia solum petit approbationem Episcoporum pro confessionibus sæcularium, etiam Sacerdotum, audiendis: ergo, &c. Et constitutio illa Gregorij XV. cum declaratione Cardinalium, vel non est adhuc executioni mandata, ut volunt aliqui, vel fuit saltem pro Hispania suspensa, ut latè diximus hoc tract. c. 3 n. 39. Atque ita docent Perez disp. 51. sect. 1. n. 1. Thomas Hurt ad. tom. 2. tr. 12. cap. 1. dub. 5. num. 2003. Lezana tom. 5. in Mari magn. Carmelit. num. 371. Velateus verb. *Confessor monial.* num. 1. Antonius à Spir. sancto in *Director. regular. tractat. 2. dispus. 3. sect. 1. numer. 241.* & in *Director. Confess. tract. 5*

Episcopi non requiruntur.



tractat. 5. disputat. 13. sect. 2. num. 856.  
 Qui etiam cum prædictis authoribus  
 alleit, non requiri approbationem  
 Episcopi in confessario, pro confes-  
 sionibus monialium Episcopo subje-  
 ctarum; sed solum Prælati Confessa-  
 rij licentia, & approbatio: quia ex ju-  
 re, & privilegiis antiquis solum hoc  
 requirebatur in confessario regulari,  
 pro audiendis confessionibus om-  
 nium fidelium utriusque sexus: sed  
 Concilium solum addit, requiri ap-  
 probationem Episcopi pro sæculari-  
 bus ipsi subjectis, non pro religiosis:  
 ergo pro illis relinquit jura, & privi-  
 legia antiqua in suo robore. Quod  
 probabile judicamus, loquendo de  
 monialibus alterius, vel ejusdem or-  
 dinis, cum confessario, Episcopis sub-  
 jectis; non de monialibus alterius or-  
 dinis subjectis regularibus; nisi ab ea-  
 rum prælatis obtineatur licentia:  
 propter ea, quæ hoc puncto §. 6. di-  
 cemus, loquentes de contentibus  
 alterius Ordinis religiosis.

### §. III.

*Positne Episcopus cum limitatione re-  
 gulares approbare? vel illis idoneis  
 repertis, approbationem non  
 impertiri?*

Graviter <sup>60.</sup> **D**uplicem gravissimam dif-  
 ficultatem tangit hæc titu-  
 lus. Quam libuit ex professo exami-  
 nare. Et à secunda incipiendo, quæri-  
 tur, an regulares apti & idonei, præ-  
 sentati Episcopo, si ab eo, ex odio, aut

mala voluntate, aut ex alio pravo af-  
 fectû, non fuerint admisi, nec ap-  
 probati ad confessiones, possint ipsi  
 sæcularium confessiones audire, ac  
 si essent de facto approbati? Et sup-  
 ponimus, in hoc graviter peccare  
 Episcopum contra justitiam, si abs-  
 que justa causa ad confessiones per-  
 tinente, idoneum regularem à suo  
 prælato præsentatum reprobarer, aut  
 approbationem non impertiretur.  
 Nam approbatio, ut diximus, pertinet  
 ad ordinem justitiæ, ad quam jus ha-  
 bet expositus, ut si reperiat idoneus,  
 ei approbatio conferatur: contra  
 quod agit Episcopus denegans illi  
 approbationem, ob inordinatum ad  
 religionem affectum. Unde & ipsi  
 religioni, & prælatis ejus injuriam  
 irrogat. Colligitur autem Episcopum  
 ex malevolentia, non ex jure denega-  
 re approbationem, si contra regula-  
 res soleat jacere convitia, si religionis  
 institutum vituperet, si publice, aut  
 secretè religionis detrahat, si ni-  
 mius est in examine, qui circa alios est  
 forte remissus, si cum tali scientia,  
 aut peritia repertum alium Sacerdo-  
 tem sæcularem, vel regularem alte-  
 rius ordinis approbaverit, vel aliis si-  
 milibus signis, raro in Dominis E-  
 piscopis, qui perfectionis statum pro-  
 fitentur, repertis: sed quia homines  
 sunt, possunt obliquis affectibus re-  
 torqueri. Quæritur ergo, an si in his,  
 & similibus casibus denegent Epi-  
 scopi injustè, regularibus appropria-  
 tionem, ipsi audire possint confessiones  
 sæcularium?

Negans  
sententia  
posse  
regula-  
res inju-  
ste non  
appro-  
batos,  
confes-  
siones  
sæcula-  
rium au-  
dire.

61. Prima sententia est negativa. Et probatur primo: quia sub conditione positum, nihil operatur ante illius adventum. *Cap. si pro se. 13. de re scriptis in 6. ita quod conditio debeat in forma specifica poni, & non sufficiat, quod per æquipollens ponatur, l. qui heredi. §. 1. Marci ff. de cond. & demonstrat.* Sed Sacerdotes, etiam regulares non possunt sæcularium confessiones audire, nisi sub hac conditione, quod prius ab Episcopo sint iudicati idonei, & ab eo approbationem accipiant, ut constat ex decreto Concilij Tridentini. *supra hoc puncto §. 1. relato: ergo, &c.* Secundo: quia quando aliquid requiritur, ut de substantia, & essentia alicujus actus, in iustitia negantis, seu iustitia petentis, non possunt illud supplere, ut patet in eo, quod contingit in Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ, quæ minime valide reciperet, qui etiam ritè dispositus ad ea accederet, si minister ex odio, aut alio pravo affectu, aut formam essentialem, aut intentionem debitam non apponeret: quia hæc sunt de essentia illius Sacramenti, quæ per injuriam negantis, vel iustitiam petentis suppleri non possunt: sed ut regularis valide audiat sæcularium confessiones, petit tamquam essentiale Concilium, quod ab Episcopo sit approbatus: ergo injuria negantis, aut iustitia petentis, hoc essentiale suppleri non potest, proindeque valide non poterit ad audiendas confessiones accedere. Atque ita docent Joannes Sanctius, in *select. disp. 48. num. 16.* Bordon. *tom. 1. resolut. 36. num. 4.* Lugo de *Pœnit. disp. 21. nu. 52.* Diana

*4. p. tract. 4. resolut. 200. & p. 8. tract. 1. resolut. 85.* Dicastillo de *Pœnit. disp. 10. dub. 9. n. 168.* Suarez *disp. 8. de Pœnit. sect. 5. num. 18.* Coninch. *disp. 8. de Sacrament. dub. 7. n. 28.* Filiutius *p. 1. tract. 7. cap. 9. n. 157.* Barbol. de *officio, & potest. allegat. 25. num. 8. & 27. & alij.*

62. Secunda sententia est affirmativa. Quæ probatur primo: quia conditio injuste impedita per tertium, cujus interest, legitime habetur pro impleta, *l. si Titius. ff. de conditionibus, & demonstrat.* Et juxta regulam *66. juris. cum non fiat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impletur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Et juxta *cap. licet. de regularib. licentia legitime petita, habetur pro obtenta, licet fuerit negata:* Ergo hujusmodi religiosus presentatus, & sine iusta causa ab Episcopo rejectus, habetur pro approbato ab illo. Per quod patet ad omnia in oppositum adducta. Approbatio enim Episcopi realis, vel à jure præsumpta, est quæ requiritur, ut essentiale ad confessiones sæcularium in regularibus, quæ certe de facto ab eis apponitur, quando ritè presentantur, & injustè rejiciuntur. ¶ Nec valet dicere: id etiam verificari posse in sæcularibus Sacerdotibus; quod Episcopo presentati, & ab eo injustè repulsi, possent audire confessiones sæcularium. Sed est dispar ratio: quia regulares à Pontifice habent jurisdictionem, à quo solum petitur in eis approbatio Episcopi debita, ut diximus: maxime secundum jura, & privilegia infra alleganda. Quibus non funguntur clerici, qui ab Episcopo &

Si Episcopus regulares idoneos non approbet, an ipsi nihilominus possint sæcularium confessiones audire?

E e e e                      juris.

Jurisdictionem, & approbationem debent recipere: quibus, proinde, licet injuste denegetur approbatio, injuste non denegatur jurisdictio; quia hæc non pertinet ad ordinem justitiæ, sed ad ordinem gratiæ.

**Ex diversis privilegiis in jure infertis id ipsum probatur** 63. Secundo probatur dicta sententia, ex Clementin. *Dudum. de sepulturis*. ubi dicitur, quod si Episcopus ex odio, aut mala voluntate noluerit regulares idoneos approbare, possunt ipso jure confessiones sæcularium audire, perinde, ac si essent approbati. Et Bonifacius VIII. in *Extravaganti super Cathedram. de sepulturis* §. *Quod si forte jam dicti prælati*. Concedit religiosis, ut possint de facto audire confessiones fidelium, quando legitime præsentati coram Episcopo, ipse non vult eos approbare, & admittere absque justa causa. Et idem concessit Leo X. in Concilio Lateranensi Minoribus, in quadam constitutione, quam referunt *Quaranta verbo privilegia regular.* & Paulus Piafetus in *sua praxi Episcop. part. 2. cap. 3. n. 40.* Quod Joannes XXII. in *Extravag. Frequentes. de judiciis*, concessit Augustinianis, & Carmelitis, extendens ad eos concessionem factam in *Clementin. Dudum. de sepulturis*.

**Solutio contrariæ opinionis** 64. Sed dicunt adversarij, hæc omnia privilegia revocata fuisse per Tridentinum, in quo petitur in regularibus approbatio Episcopi, pro sæcularium confessionibus, non obstantibus quibuscumque privilegijs in contrarium. ¶ Ad hoc ferè omnes auctores infra pro ista sententia adducendi respondent, supradicta privilegia revocata non esse per Tri-

dentinum: quia non tam privilegia, quam jura sunt, & leges in corpore juris insertæ. Privilegia autem inserta in corpore juris, per subsequentem dispositionem non revocantur, nisi de illis expressa mentio fiat, ut diximus supra *l. 2. n. 40.* Quod tamen in Tridentino non datur; sed clausula generalis: *non obstantibus, &c.* Quæ non sufficit ad derogandum privilegijs, in corpore juris insertis. Maxime si concessa sint à Concilio Generali, ut est illud Leonis X. ¶ Sed hæc solutio non placet; quia alias modo possent regulares, quod ante Tridentinum poterant, sine præsentatione coram Episcopo, sine examine illius, aut illius juxta approbationem, sæcularium confessiones audire, quod nemo audebit dicere. Quod sequitur manifestè ex Doct. in horum Doctorum. Nam ex *Clementin. Dudum. & Extravaganti: Super cathedram*, & alia *extravaganti Inter cunctas*, poterant regulares à suis prælatis præsentari, & approbati, absque approbatione Episcoporum sæcularium confessiones audire, ut *num. 42.* diximus. Si ergo hæc privilegia, quia inserta in corpore juris non revocantur à Tridentino per illam clausulam: *non obstantibus, &c.* cum alibi aut aliâ clausulâ, faciente illorum expressam mentionem revocata non sint, adhuc modo in suo robore persistent. ¶ Sed non ita res se habet: quia licet non censetur aut Concilio Generali, aut juri communi per generalem clausulam, nisi de illis fiat expressa mentio, derogari, ut diximus *loco citato*: hoc intelligitur quando Pontifex, vel

Con-

Concilium extra jus commune, per novam privilegij concessionem, bullam, aut dispositionem particularem, vel etiam legem extra corpus juris communis latam, aliquid contrarium juri communi indulget, aut disponit. Secus autem quando Pontifex, aut Concilium, legem generalem condit: quia per hoc legem anteriorem communem contrariam censetur tollere, etiam illius non facta expressa mentione, ut supra cap. 2. num. 44. diximus, & tractat. 11. de legib. cap. 4. numer. 13. quia Princeps censetur juris communis notitiam habere, cap. 1. de Constitutionib. in 6. Et quia Concilium Concilio derogare potest, & jus commune novum, juri veteri communi, sine obstantiis; eo quod prius jus non ligat manus subsequentiis; nec vetus Concilium est majoris virtutis, quam novum; nec minori diligentia, maturitate, & discussione conceditur unum, quam alterum, tam in construendo, quam in destruendo.

Prædicta privilegia non esse per Tridentinum revocata, ostenditur.

65. Verum ex alia parte, non videntur jura, & privilegia numer. 63. relata, abrogata per Concilium Tridentinum, quantum ad id, pro quo illa adduximus. Tum: quia jus illud antiquum loquitur de casu particulari, nimirum quando religiosus legitime præsentatur, idoneus reperitur, & absque justa causa repellitur: jus autem novum Tridentini loquitur in generali, & consequenter hoc illi non derogat: sed verificatur ex illa regula juris in 6. generi per speciem derogatur. Quam Glossa, & communiter Doctores in cap. Quamvis, de Præ-

bendam in 6. & c. 1. de constitutionibus eodem lib. intelligunt, etiam si species antecedit. Tum etiam: quia quantum fieri potest, debet ista abrogatio legum vitari, cap. cum delectus. de consuetudine, eo quod correctio legum est odiosa: ob idque non extendenda, sed limitanda, & restringenda, quæ à jure exorbitant, ut diximus tract. 11. de legib. cap. 4. n. 13. & ideo si leges verosimili ratione, aut bona conjectura possunt conciliari, non est admittenda correctio juris, ut ibidem num. 14. diximus: quia conciliari possunt dicendo, jus antiquum loqui in casu particulari, & jus novum in generali, cum exceptione tacita illius casus particularis, nisi illius faciat expressam mentionem. Hoc in præsentem contingit, quia Tridentinum loquitur in generali: nullus confessiones secularium audiat, non approbatus ab Episcopo. Quod conciliari potest cum juribus antiquis, excipiendo casum particularem, de quo illa loquuntur, quia hujus conciliationis jurium, & interpretationis datur optima ratio. Quia Concilium per illud decretum intendit, quod regulares submittantur Episcopo, à quo alias exempti erant, quoad audiendas confessiones secularium, & illis quoad examen subiciantur, ut Episcopus noscat, quibus oves suas committit, & ne eligantur indigni ministri, aut non idonei ad tantum Sacramentum. Quod totum in nostro casu salvatur, in quo regularis subicitur examini, & alias judicatur idoneus, licet ab Episcopo ex pravo affectu non approbatur: ergo non est credibile vo-

Eeee & luisse

Aluisse Concilium, revocare illa jura,  
 de hoc casu particulari loquentia,  
 Episcopi fovendo passionem, & erga  
 regulares malevolentiam. Unde hanc  
 resolutionem tenent Illustrissimus  
 Dominus Magister Arauxo in *Deci-  
 sionib. moralib. tractat. 1. quest. 8. sect. 2.  
 numer. 10.* Vidal. *titul. jurisdic. inquisit.  
 6. numer. 63.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3.  
 numer. 26.* Thomas Hurtad. *part. 2.  
 tractat. 12. cap. 1. numer. 188. & num.  
 1896.* Portellus *verbo confessor. quoad  
 regulares numer. 3.* Antonius à Spiritu  
 sancto in *director. regular. tractat. 2.  
 disputat. 3. sect. 1. numer. 6. & in director.  
 confess. tractat. 5. disput. 13. sect. 7. numer.  
 870.* Palaus de Pœnit. *disput. unic. punct.  
 18. §. 3. numer. 9.* Navarr. in *manual.  
 cap. 27. numer. 264.* Henriquez *lib. 6.  
 cap. 6. numer. 4.* Joannes à Cruce *lib.  
 2. cap. 6. dub. 1.* Leander de Pœnit. *disp.  
 11. quest. 83.* Manuel Rodriguez *qq.  
 regular. tom. 1. quest. 51. art. 2. cum suo  
 compend. resolut. 32. n. 3.* Layman. *l. 5.  
 tr. 6. c. 11. n. 4.* Miranda *quest. 45.  
 art. 6.*

Hæc sunt utriusque sententiæ fun-  
 damenta, quarum secundam, que  
 nobis olim satis placuit, libenter mo-  
 do amplecteremur, nisi in opposi-  
 tum ejus, adeoque in favorem primæ,  
 urgeret decretum sanctissimi D. N.  
 Papæ Alexand. VII. sub data Romæ  
 die 24. Septemb. anno Domin. 1685.  
 Etenim inter propositiones illas 45.  
 per hujusmodi decretum, ut scanda-  
 losas, temerarias, & erroneas à Pontifi-  
 ce damnatas, annumeratur una, quæ  
 est: 13. his verbis. *Satisfacit præcepto  
 annua confessionis, qui confitetur Regu-  
 lari Episcopo presentato, sed ab eo injuste*

*reprobato.* Quæ sane propositio ( ut  
 ex terminis ipsius liquido apparet ) in  
 nihilo differt ab opinione affirmati-  
 va, quam Authores secundæ senten-  
 tiæ tuerentur. Cum igitur prædictum  
 Alexand. VII. decretum, quoad vim  
 obligandi, maneat in suo robore, ut  
 constat est his, quæ supra in hoc tract.  
*part. 1. numer. 7. & 8.* omnino videndis,  
 diximus non possumus non modo à  
 secunda sententia recedere, & pri-  
 mam, cui hujusmodi decretum om-  
 nino favet, amplecti.

66. Veniamus ad secundam dif-  
 ficultatem: an nimirum possit Epi-  
 scopus, regulares limitatè approbare,  
 ad limitata loca, personas, tempus, &c.  
 Absolute affirmat prima sententia &  
 sic posse approbare ad solos vitos,  
 non ad fœminas, usque dum 40. an-  
 nos attingant; posse pro talibus locis,  
 approbare non pro aliis; & quoad  
 audiendas confessiones in suis Eccle-  
 siis, non alibi; ut maneant ad annum  
 approbati, & ulterius examinentur:  
 quia tamen quoad scientiam regula-  
 rem reperiat idoneum, potest illum  
 minus aptum judicare ad confesio-  
 nes fœminarum usque ad 40. annos,  
 vel propter minorem gravitatem, vel  
 propter juvenilem aspectum, vel  
 propter aliquam suspicionem de illo  
 conceptam. Nam his omnibus in-  
 spectis, potest Episcopus eum ido-  
 neum, vel non judicare: & idem est si  
 illum approbet pro hoc loco; pro his,  
 aut illis personis, & non aliis, ob  
 speciales rationes, quæ illi occurrere  
 possunt. Sic Diana 3 parte tract. 2. re-  
 solut. 25. & 6. p. tractat. 7. resolut. 61.  
 Suarez disp. 28. sect. 7. numer. 19. Lugo  
 disp. 270

Posse E-  
 piscopum li-  
 mitatè  
 regulares  
 res ap-  
 probare,  
 aliqui  
 dicant.

disp. 27. sect. 3. numer. 57. Dicastillo disput. 10. dub. 9. numer. 286. Mendo disput. 22. cap. 3. n. 54. & 55. Fagund. 2. precept. Eccles. lib. 7. cap. 2. numer. 1. Et dicunt esse communem, atque ita est; sed opposita non minus est communis, ut videbitur.

Ex justa causa ad confessiones perti- nente, potest Episcopus limitare regularem approbare.

67. Secunda vero sententia (cui subscribimus) dicit posse Episcopum ex iuxta causa ad confessiones perti- nente, cum limitatione ad tempus, personas, aut loca, regularem exposi- tum approbare: ut si illum minus pe- ritum ad audiendas verbi gratia, confessiones merca orum reperiat: & ideo pro locis ubi non sunt, aut non concurrunt approbet; vel ad certa duntaxat loca, excludendo alia, in quibus casus difficiliore frequen- ter occurrunt; vel si de ejus vitæ inte- gritate dubitaret, non ex levibus in- diciis; & tunc pro viris, non pro fœ- minis approbaret, vel si eum minus in litteris expertum agnosceret, & ut enixius studio vacaret, solum ad an- num approbare veller, & post annum iterum ad examen revocare. In his, & similibus casibus, in quibus ista cau- sa interveniret, & hæc perti- nens ad confessiones, proculdubio posset, & deberet Episcopus regularem cum limitatione ad tempus, personas, & loca approbare; & sic limita- e appro- batus, nec validè, nec licitè posset confessiones audire, ultra limites suæ approbationis. Quod omnes uno ore concedunt tam supra citati, quam in- fra Doctores citandi.

68. At vero si justa non deur causa, ad confessiones modo dicto expectans, non potest Episcopus, re- gularem cum limitatione ad loca, tempus, & personas approbare. Et si secus fecerit, nihil faciat; & poterit re- gularis ultra limites approbationis validè, & licitè confessiones audire. Ut si regularem quoad scientiam, & peritiam repertum idoneum, quia ju- venis est, non ad fœminas, sed ad vi- ros duntaxat, usque ad 40. annos approbaret: maximè si talis limitatio pro omnibus, vel pluribus, aut fre- quenter absque alia causa daretur, quæ certè in præfenti, est insufficiens, cum innumeros Sacerdotes sæcula- res videamus ad beneficia parochia- lia assumi, cum primum attingant 25. annos, & illis conceditur absque li- mitatione ad vires absoluta appro- batio. Sed numquid minus confiden- dum est de integritate vitæ Sacerdo- tis sæcularis, quam regularis, ut illis post 24. an. facultas audiendi fœmi- narum confessiones concedatur, & istis usque ad 40. denegetur? Fatemur in religionibus aliquibus dari sanctis- simas leges, ut Sacerdotes non nisi provectæ ætatis possint audire con- fessiones fœminarum, ut apud nos 2. part. const. cap. 6. n. 3. ubi pro confes- sionibus mulierum audiendis 33. an- num attingere requiritur, ut cum ma- jori gravitate, & morum integritate hoc ministerium exerceatur. Cæte- rum aliud est, quod religiones statu- unt pro omnibus quæque in suis subditis id, quod perfectius est, & se-

Absque justa causa ad confes- siones perti- nente, nequit Episco- pus limita- tare re- gulares appro- bare.

curius quærun'. Aliud quod aliqui ordinarij faciunt; qui cum sæculares Sacerdotes post 24. annos ad omnes personas approbent; solum pro regularibus dictam limitationem apponunt; quod proculdubio absque justa causa ad confessiones pertinet; fit; maxime, si regulariter, & cum pluribus id exerceatur. Et idem dicimus de limitatione ad suas Ecclesias, ut non possint alibi confessiones audire. Idem de limitatione pro anno, pro his, aut illis locis, data regularibus, qui aliàs quoad scientiam, & peritiam hujus Sacramenti, reperiuntur idonei.

Examen  
religio-  
forum  
quoad  
mores,  
& vitam  
pertinet  
ad præ-  
latos,  
non ad  
Episco-  
pum.

69. Pro quo nota cum Dicastillo, *disputat. 10. numer. 289. & 270. Delbene tom. 2. cap. 14. sect. 11. numer. 31. Antonio à Spiritu sancto in direct. confess. tractat. 5. disput. 13. sect. 9. n. 877* quod examen & approbatio Episcopi non est delumenda à moribus, & vita religiosorum, sed à litteratura, & scientia. Tum: quia examen, & approbatio quoad illa, pertinet ad Prælatos, quibus incumbit de vita, & moribus religiosos judicare; & Episcopi tuta conscientia possunt in ordine ad approbationem quoad vitam, & mores regularium, approbationi Prælatorum acquiescere: neque ad ipsos pertinet ætatem cum ministerio pensare; cum omnes Parochos post 24. annos ad illud sine limitatione assumant. Et non est minus fidendum religioso tot exercitijs religionis, clausuræ, & correctioni quotidianæ Prælatorum exposito, quam sæculari sacerdoti in sua domo commodè, & libere degenti. Tum etiam: quia in

*Concilio Lateranen. si Leo X. in Bulla edita. 19. Decemb. anno 1516. concedit religiosis mendicantibus privilegium, ut per eosdem Episcopus possint sufficiens illi teratura, & aliqua saltem hujus Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Unde quando in Tridentino dicitur: Ab Episcopo in peritiam si illis videtur, &c. intelligitur de examine quoad sufficientem dumtaxat litteraturam, & hujus Sacramenti peritiam, ut juramentum se consonent, & unum non dicatur alteri contrarium, cum utrumque conciliari potest. Verum est, quod si Episcopo satis constaret religiosum aliquem non esse in moribus, & vita sufficientem, vel de ejus vi & integritate dubium aliquod prudens haberet, posset approbationem negare, vel cum limitatione illi concedere, vel suspendere concessionem, donec dubium illud cessaret; quia id ex natura rei est annexum muneri Episcopali, ut arceat bonus Pastor omne à suis ovibus nocumentum. Dum autem hoc dubium, aut suspicio prudens non datur, potest Episcopus quantum ad vitam, & mores religiosi, Prælatorum testimonio acquiescere.*

70. Probatur ergo assertio *num. 68. proposita. Quia jurisdictio in ordine ad audiendas confessiones sæcularium, non communicatur religiosis ab Episcopo, sed à Summo Pontifice, concedere religiosis privilegia, ut omnium fidelium utriusque sexus ad se venientium confessiones possint audire, quamvis petat judicium Episcopi de idoneitate sacerdotis, & ejus approbationem quantum ad scientiam,*

Resol-  
tio no-  
stra, ra-  
tione, &  
autho-  
ritate pro-  
batur.

etiam, & peritiam huius Sacramenti ergo hac posita, non est in arbitrio Episcopi jurisdictionem limitare ad tales, aut tales personas, aut talia loca, tempora, &c. Quod totum declaravit sacra Congregatio Cardinalium, prout refert Barbosa ad c. 15. ff. 23. Concl. n. 13. Confess. tit. 23. cap. 4. & s. Rodrig. q. 59. art. 8. Miranda q. 45. art. 10. Bordon. resol. 36. n. 23. his verbis: Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei, ab Ordinariis locorum, eorumve examinatoribus reperti, & approbati fuerint; generaliter quoque, & indistinctè, absque ulla limitatione temporis, eorumve locorum, aut generis personarum admittantur in diocesi propria: de cetero vero, qui non ad id idonei reperientur, si peti rint se admitti, arbitrio Ordinariorum, relinquatur, ipse cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis videbitur expedire, probare, & admittere. Et est quod nos hactenus diximus, & tenent nobiscum Barbosa, Bordon. Deibene, Miranda, Antonius à Spiritu sancto loci citatis. Lezana tom. 1. cap. 19. num. 8. Villalobos tom. 1. tractat. 9. difficult. 53. num. 2. Portel. in dub. regul. verbo, Confessor. numer. 3. Peym. de subdit. quæstione prima, cap. 21. §. 2. Pasqualig. tomo secundo, decis. 500. Bassæu. verb. Confess. 3. numer. 12. Palau tractatu 23. disput. unic. punct. 11. §. 2. num. decimo, Leand. de pœnit. disput. aione 11. quæst.

§ 8. Henric lib. 6. de pœnit.

cap. 6. num. 8.

§. IV.

An regularis pro una diocesi approbatus, ad audiendas in aliis secularium confessiones, nova indigeat approbatione.

71. **UT** circa hanc gravissimam difficultatem distinctius procedamus, aliqua apud nos certa supponere duximus; ut sic hæc obiter dicta remaneant, quæ etiam pro praxi necessaria sunt, ut postea ad quæstionis resolutionem accedamus. Supponimus ergo primo, regularem in una diocesi absolute approbatum, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi concedentis ut possint eligere confessarium approbatum, quem voluerint, posse in quacunque Diocesi eius, et si in ea ab Episcopo approbatus non fuerit: quia ex una parte ut confessarius eligatur, solum quod sit ab Episcopo approbatus, exigitur; quod in tali casu invenitur: ex alia non dantur iura, aut Pontificum decreta declarantia, debere esse ab Episcopo, in cuius Diocesi audit confessiones, approbatum, ut dantur in casu nostræ quæstionis de regularibus confessiones audientibus, præciso Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi privilegio, absque approbatione Episcopi in cuius Diocesi illas audiunt. Et merito in casu Jubilæi, & Bullæ, de qua modo loquimur, non dantur: alias aut minimum, aut nihil concederet privilegium, si confessarius eligendus debe-

Semel regularis in una Diocesi approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ potest ubique in confessorem eligi.



deberet esse in qualibet Diœcesi approbatus. Atque ita docent in casu Bullæ, & Jubilæi, tam pro regularibus, quam pro alijs sacerdotibus in uno Episcopatu approbatus, Caudidus *disquisit.* 24. *art.* 64. Delbene *tom.* 1. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 13. *numer.* 4. Antonius à Spiritu sancto *in director. Confessor. tractat.* 5. *disputatione* 13. *numer.* 903. Tullench. *in Bullam. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* *dub.* 5. *num.* 7. Suarez *de penitens. disputatione* 28. *sect.* 7. *num.* 6. Naldus *verb. indulgent. numer.* 9. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disputatione* 34. *numer.* 18. Pellizzar. *tractat.* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *numer.* 19. Antonius Gomez *in Bullam ad clausul.* 10. *numer.* 8. Arauxo *in decis. moral. tractat.* 1. *questione* 8. *numer.* 11. Bauny *in Theol. moral libro primo, tractatu* 4. *quest.* 4. Acosta *in explicat. Bullæ, n.* 19. & alij communiter.

Regula-  
res semel  
appro-  
bati,  
quando  
itineran-  
tur, in  
quacum  
que Dio-  
cesi pos-  
sunt con-  
fessiones  
audire.

72. Supponimus secundo, regula-  
res iter agentes posse audire confes-  
siones non solum subditorum illius  
Diœcesis, in qua approbati sunt, sed  
aliorum quorumcumque ad eos ac-  
cedentium ex privilegio Gregorij  
XIII. & Eugenij IV. pro Minoribus;  
quod confirmavit Paulus V. *Bulla* 19.  
q. ibus conceditur, ut semel ab Or-  
dinario approbati, in itinere, seu extra  
domos existentes possent quorum-  
cumque fidelium, in quocumque  
loco reperiantur, audire confes-  
siones, non repugnantibus Parochis, etsi  
in eodem loco Episcopus illius Diœ-  
cesis non existat, aut non sit facilis ad  
eum accessus. Joannes à Cruce *lib.* 2.  
*cap.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 2. Alphonsus de  
Leon. *de officio confess. tom.* 2. *recoll. c.*

10. *numer.* 56. Lugo *de penitens. dispu.*  
21. *numer.* 29. Pellizzar. *suprà numer.*  
31. & 41. Layman. *lib.* 5. *tractat.* 6. *cap.*  
11. *numer.* 8. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part.*  
*disputat.* 18. *sect.* 7. Palau *tom.* 4. *tract.*  
23. *disputat. univ. punct.* 14. *numer.* 13.  
Henriquez *lib.* 3. *de penit. cap.* 6. *num.*  
7. Antonius à Spiritu sancto *in direct.*  
*regular. tractat.* 2. *disputatione* 3. *numer.*  
12. Et hinc probant aliqui non posse  
regulares cum sola approbatione  
unius Episcopi, in quacumque Diœ-  
cesi domicilium habentes, confes-  
siones secularium audire. Quia allata  
privilegia hoc illis concedentia, quan-  
do itinerantur, & cum dictis limita-  
tionibus, supponunt eos extra casum  
itineris non posse, & sine dictis limi-  
tationibus id facere. Sed hoc nihil  
probat: quia ob dubietatem opinio-  
num, cum res non esset certa, ad ma-  
jorem securitatem conscientia potuerunt  
hæc illis Pontifices concedere: & quia in omni casu, & eventu  
*abundans cautela non nocet, l. testamen-  
tum, C. de testament.* deserviet ergo  
hoc indultum pro religiosi itineran-  
tibus, vel causa petendæ elemosinæ,  
aut alterius negotij per aliam Diœ-  
cesim transeuntibus, ut possint in illa  
omnium fidelium audire confes-  
siones, absque ullo timore, & scrupulo  
conscientiæ.

73. Supponimus tertio. Quod si  
religiosus approbatus in hac Diœce-  
si, v.g. Salmantina, ad aliam transfe-  
rat mutando domicilium, & post  
multos annos ad dictam Diœcesim  
redeat, etiamsi alius Episcopus in ea  
existat, ab eo, qui eum approbavit,  
absque nova approbatione poterit in  
illa

Semel  
appro-  
batus in  
uno E-  
piscopo  
tu, ad  
eum  
post h-

minio  
rediens,  
non in-  
diget  
nova  
appro-  
batione.

illa confessiones audire. Et ita concessit Eugenius IV. Minoribus, §. 3. & Clemens VIII. §. 16. in compendio privilegiorum verbo *absolutio* quoad sæculares, 1. ut testantur à Cruce, & Rodriguez statim referendi, ut semel in una Diœcesi præsentati ad eam postliminio redientes, liberi sint ab iterata præsentatione. Et ratio est: quia mutatione domicilii non perdit approbationem; siquidem ad conservationem illius mutatio loci se habet impertinenter, quæ secundum totum suum existere pendet à iudicio concedentis, quod adhuc perseverare censetur, non minus, ac si nunquam domicilium mutasset. Sic Rodriguez *quæst.* 59. art. 5. §. *nec hui.* Cruz *lib.* 2. cap. 6. dub. 4. *conclus.* 2. Bordon. *tom.* 2. *resolutione* 36. num. 37. Bonacin. *quæst.* 7. de *pœnit. punct.* 4. §. 1. num. 16. *vers.* qui etiam. Barbosa *ad hoc cap. Trident. n.* 44. Bossius *sect.* 3. *casu* 2. num. 46. Pelliz. num. 35. & 40. Fagondez num. 20. Lezana *cap.* 19. n. 7. ¶ Et hinc fit Parochum resignato beneficio Parochiali ingredientem religionem posse eligi in confessarium virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ: & idem est de alio quocumque Sacerdote ab Episcopo approbato, & religionem ingredienti, in illaque proficenti; nam licet in his jurisdictione cesset, permanet approbatio, quæ cum statu religionis non est impossibilis; & de novo per Bullam, aut Jubilæum recipiunt à Pontifice jurisdictionem, Et sic nihil deficit, ut possint confessiones sæcularium audire. Bordon. num. 87. Bossius *sect.* 3.

de Jubilæo num. 53. Cespedes de *exempt. disput.* 119. num. 3. Pellizzar. num. 41. Villalob. *tract.* 9. *difficult.* 55. n. 5. & alij, quos refert, & sequitur Diana p. 5. *tract.* 12. *resol.* 47.

74. Supponimus denique, regularem semel approbatum in una Diœcesi posse subditos illius Diœcesis, in quacumque alia Diœcesi existat, confiteri: quia ad hoc solum requiritur approbatio Episcopi, qui sit proprius vel cœnitentis, vel confessarii; & non requiritur approbatio illius Episcopi, in cujus Diœcesi existat, ad audiendas confessiones ovium illius Diœcesis, à cuius Pastore, fuit approbatus. Diana 3. *part.* 11. *resol.* 123. Sanchez *lib.* 3. de *matr. disput.* 34. num. 2. Lezana num. 5. Pelliz. num. 34. Bordon. *resol.* 6. num. 4. Tambur. de *jure Abbatum*, tom. 2. *disput.* 6. *quæst.* 14. num. 4. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 60. art. 1. Imò etiam potest fideles cujuscumque Diœcesis, ad eum accedentes confiteri, si in Diœcesi existat, in qua ab Episcopo est approbatus, ut confessarius Salmanticæ existens, & ab Episcopo Salmantino approbatus, potest fidelium Diœcesis Vallisoleanae, Abulensis, Palentinae, aut Segovienensis confessiones audire. Tum propter dicta: quia jurisdictionem à Pontifice habet respectu omnium fidelium; dummodo sit ab Episcopo sui domicilij approbatus. Tum etiam; quia vel illi sunt in hac Diœcesi ad illam transferendo domicilium; & sic fiunt subditi Episcopi Salmantini, poteruntque confiteri cum sacerdotibus ab eo approbatis; vel

ffff

vel



sentia probatur. Nam Clemens VII. concessit Minoribus, & Sixtus V. Presbyteris Congregationis Oratorij, Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*. Ut semel presentati alicui Episcopo pro confessionibus audiendis, post unam presentationem non teneantur amplius presentari, etiam si ad aliam transmiserint diocesim. Sed hæc, & alia privilegia non sunt revocata, nec per Tridentinum, nec per Urbanum VIII. aut alium Pontificem: ergo modo illis uti possunt regulares. Probatum minor: quia Tridentinum, & Urbanus VIII. solum petunt Confessarium esse ab Episcopo approbatum, quod verificatur, si ve approbatus sit ab Episcopo pœnitentis, si ve loci, si ve confessarii, si ve à quocumque alio. Quod autem dicat Tridentinum, quod debeat ab Episcopis approbari non intelligitur copulative; aliàs non posset Confessarius, nisi ab omnibus Episcopis approbatus confessiones audire: intelligitur ergo distributive. Quia cum plures, & diversi sint confessarii, in diversis locis existentes, à pluribus debent Episcopis approbari; sed in singulis sufficit, quod ab uno approbentur, ut verba Concilij verificentur. Quemadmodum licet dicatur, non posse medicos curare, aut Juristas Advocatorum munus exercere, nisi sint ab Universitatibus laureati, vel approbati; sufficit, ut singuli suum munus obeant, quod ab una Universitate lauream, vel approbationem recipiant; nec requiritur approbatio Universitatis cujuscumque civitatis,

ut possint suo muneri incumbere; sic proportionabiliter in Confessariis. Declaratio autem sacræ Congregationis adducta, vel non est authentica, & idem apud Authores, qui illas studiose congerunt, non reperiuntur: vel de illa dicendum erit, quod de alia simili statim dicemus. Hanc tenent ut probabilem Henriquez *lib. 7 de Indulg. cap. 13, §. 4.* citans plures Magistros Salmanticæ, & *lib. 3. de pœnit. cap. 6. §. 7. in Gloss. littera A.* Bruno *tract. 5. c. 3. proposit. 1.* Leander à Murcia *in regul. S. Francis, cap. 7. quest. 8. conclus. 3. num. 8.* Ludovicus Zelosius *lib. 5. de Hierar. h. cap. 25.* Stephanus Bauny *in Theolog. moral. part. 1. tract. 4. quest. 4. Prepositus 3. part. questione 8. de Sacrament. Pœnitent. dub. 4. num. 21.* Medina *lib. 2. questione 19. artic. 6. circa finem.* Palacios *in 4. distinct. 17. disput. 7.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. regul. tract. 2. disput. 3. sect. 1. n. 13. & in direct. Confess. tract. 5. disput. 13. sect. 13. num. 896.* Amicus *de pœnitent. disput. 1. §. sect. 3. num. 123.* Bassæus *verbo Confessor 3. num. 19.* Trullench. *in praxi Sacrament. disput. 8. dub. 7. n. 57.* Egidius *de Sacrament. disput. 8. dub. 7. num. 57.* Ledesma, & Sanchez apud Leandr. à Sanctissimo Sacramento *tom. 1. tractat. 5. qu. 6. & alij.*

77. Sed contra modo dicta est Difficilis objectio, cui succumbens objectio Diana loco ex 10. parte, adducto, jam contra dicta. nullo modo posse sustineri probabilitatem hujus sententiæ dicit. Hæc desumitur ex brevi quodam Innocentij X. in causa, quæ versabatur

Ffff &amp;

injer

inter Patres Societatis Jesu, & Episcopum Angelopolitanum Dominum D. Joannem de Palafox, & Mendoza, qui magna cum opinione sanctitatis, & doctrinae, cum jam ab Indis ad hæc regna esset translatus, in Episcopatu Oxomensi diem felicissimum clausit. Breve igitur illud Innocentij X. quod incipit: *Cum sicut accepimus*, expeditum 16. Aprilis anno 1648. dicit: *Prædictos religiosos nequaquam posse in civitate, & diocesi Angelopolitana personarum secularium confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diocesani.* Cæterum in his verbis (alia circa hoc punctum non habet breve illud Innocentij X. ut videre est apud Lezanam in *Consiliis, consil. 40. num. 110.* ubi illud adducit de verbo ad verbum) nihil de novo declaratur, quam in verbis Tridentini, & Bullæ Urbani VIII. erat expressum, quod Episcopi diocesani requiratur approbatio: sed cujus diocesani est quæstio, an sufficiat unius diocesani, an debeat diversorum diocesano- rum, diversis diocesium approbatio adhiberi? De hoc nihil Pontifex, nec sunt ejus verba fideliter à Diana relata. Quæ si fortè attentus videret, non diceret ob hanc Bullam, non posse jam hanc sententiam ut probabilem sustineri. Verum est, quod in declarationibus Cardinalium, verba à Diana adducta continentur; nam ibi ad nonam quæstionem super tale breve Innocentij X. respondet sacra Congregatio: *Regularis, etiam Societatis Jesu in una diocesi ab Episcopo approbatus ad confessiones personarum secularium audiendas ne-*

*quaquam posse in alia diocesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diocesani.* Quæ declaratio approbata fuit à pontifice, & de ejus mandato promulgata. Sed aliud est, quod à Sanctissimo immediatè per Bullam illius procedat: aliud, quod à sacra Congregatione de illius mandato; ut supra hoc volumine tract. 15. de statu relig. diximus.

78. Verum ad hæc posset aliquis Solvitur respondere id, quod supra hoc capite præcedens ob-jectionem S. Congregationis, etiam de mandato Pontificis editam, diximus non tollere contrariæ opinionis probabilitatem. Licet sit magni ponderis, & autoritatis, videantur quæ ibidem ex Magistro Acatio de Velasco, & Magistro Delgadillo attulimus. Sed modo respondemus, quod circa similem declarationem Cardinalium, quam num. 75. adduximus, respondet *Illustrissimus Dominus D. Fr. Franciscus Arauxo in decisionibus moralibus, tractatu primo, quæstione octava, numero decimo septimo*, dicens: (Sed neque vim habere declarationes relatas Eminentissimorum Cardinalium, inde colligitur, quod neque habent vim præcepti, aut juris obligantis, quia variæ sunt, & ad invicem sibi adversantes; neque extendendas fore ultra eum casum, ad cujus decisionem sancitæ fuerant, advertit Joannes Sanchez in select. disputatione 44. notabili 1.) Id ipsum circa istud breve Innocentij X. & declarationes Dominorum Cardinalium, quod scilicet, solum pro illa causa, pro qua expeditæ sunt, & pro illo Episcopatu ad

ad summum obligare: quia decifum pro uno, aliis nocere non potest, docent Noster Antonius à Spiritu sancto Episcopus Ayatenfis, in *director. regular. tractatu secundo, disputatione tertia, sect. 1. num. 13. & in director. Confess. tractatu quinto, disputatione tertia, sect. 6. num. 809.* N. Lezana in *Consiliis, concil. 40. numer. 113.* ubi ex titulo ipsius Brevis id probat, qui talis est. *Breve Sanctissimi Domini Innocentij in causa Angelopolitana jurisdictionis in Indijs occidentalibus nove Hispania.* Deinde ex verbis proœmij: *Cum sicut accepimus, aliqua fuerint orta differentia inter Venerabilem Fratrem Joannem Episcopum, &c. & dilectos filios Clericos Societatis Jesu, &c. adjunctis illis: Pro sopiendis differentiis hujusmodi.* Quæ videntur innuere Bullam Pontificis, declarationes Cardinalium, & approbationem à Sanctissimo factam, solum procedere pro Episcopo, & Episcopatu Angelopolitano, pro quo, & pro sedandis controversiis inter ipsum, & PP. Societatis editæ sunt. Quæ proinde non tollit hujus sententiæ probabilitatem, et gravissimis Authoribus firmatam.

## §. V.

*An Regulares semel absolutè ab Episcopo approbati possint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentiæ suspendi, donec iterum presententur, vel approbentur?*

79. **I**N præsentem loqui possumus, Idem vel de eodem Episcopo, à quo approbatus fuit regularis, vel de ejus successore. Et loquimur quando fuit absolutè approbatus: si enim ex justa causa, ut diximus *num. 67.* approbatus esset cum limitatione ad tempus, loca, vel personas; plenum est posse illum, iterum vocare ad examen, vel iterum approbare, ut ultra terminos primæ approbationis exiret. Loquendo ergo de eodem Episcopo dicimus eum non posse semel regulares absolutè approbatos, nec validè, nec licitè iterum ad examen vocare, & approbare. Unde si approbationem semel absolutè factam, absque justa causa, eaque ad confessiones pertinente, revocaret; talis revocatio nulla esset. Dicta tamen justa causa interveniente, & ab eo cognita, & approbata, posse unum vel alterum regularem à munere confitendi suspendere; & iterum si opus fuerit examinare; non tamen omnes regulares communiter suspendere, aut ad examen, & approbationem novam vocare; nec omnium Confessoriorum unius Conventus revocare licentiæ, vel suspendere, donec iterum examinentur, & appro-

Ffff 3

appro-

approbentur. Assertio quoad omnes partes est inter Doctores communis, quam tenent Lezana tom. 1. cap. 19. num. 9. Bordon. tom. 2. r. fol. 37. num. 15. & resolut. 36. num. 15. Gavantus in manuali Episcop. verbo Confessarius, num. 23. & 24. Alphonsus de Leon in sine 2. part. de Fubileo, pagina 114. Peyrin. tom. 1. privileg. Minim. constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 41. Bassæus Confessarius 3. num. 18. Antonius à Spiritu sancto in director. Conf. tract. 5. diff. 13. sect. 11. & 12. & in director. regul. tract. 2. disput. 3. sect. 11. num. 9. De bene tomo secundo, capite 14. dub. 18. f. 8. 11. num. 31. Palaus tractatu 23. disput. unic. punct. 18. §. 4. num. 6. Pellizzar. tractatu octavo, capite tertio, f. 8. ... num. 42. Lugo disputatione 25. sect. 3. n. 63. & 64. Villalobos tomo secundo, tractatu vigesimo nono, difficult. 53. numero quinto. Diana sexta parte, tr. sept. resol. 62. & alij.

Assertio  
proposita,  
ratio-  
ne pro-  
batur.

80. Prima pars assertionis præterquam quod habetur expressè in Clementina Dudum de sepulturis, & extravaganti super Cathedram eodem titulo, & extravaganti Pij V. Romani Pontificis providentia, & ex declaratione sacre Congregationis Cardinalium, quam adducunt Bordon. Lez. Bassæus loci citatis, probatur hac ratione: quia nec ex Concilio Tridentino, neque ex aliquo decreto Pontificio habetur, quod Regularis semel idoneus ab Episcopo approbatus, absque justa causa iterum ab eodem, in eadem Diocesi approbari debeat. Quin potius ex Tridentino sequitur oppositum; illud enim solum concedit Episcopis, ut judicent, an sint Re-

gulares idonei ad confessiones secularium audiendas: ergo postquam jam illos per approbationem idoneos judicaverint, nihil aliud jurisdictionis per se loquendo habent circa illos Ordinarij. Ratio secunda partitis, quod in eadem causa, ad confessionem pertinentem, potest approbationem absolvi de am Episcopus evocare, vel suspendere, ea est; quia si Episcopus hoc efficere non possit, non factis suis ovibus confiteret; cum non possit ab eis a cetera confessionem ineptum semel approbatum; ut si Episcopo constaret aliquem regularem carere doctrina sufficienti, quam forsasè habebat, quando illum approbavit; vel aliquem errorem committere in confessionibus, aut in illis minus modestè, cautè, & prudenter se gerere. Hac igitur, & simili causa cognita, & probata ab Episcopo, potest unum, vel alterum regularem à munere confitendi suspendere, & iterum si opus fuerit examinare.

81. Non tamen potest omnes regulares in communi per edictum universale ad examen vocare, vel certè omnes confessarios unius Conventus indiscriminatim suspendere (quod est tertia pars assertionis) quia talem justam causam in omnibus reperiri iniquum est judicare: quia licet unus, aut alter minus idoneus reperiat; non ob id ceteri insufficientes sunt judicandi: nec licitum est propter demerita unius, omnes alios idoneos & aptos molestare. In religionibus sunt viri sanctissimi, & doctissimi, & alij minus periti, & morigerati;

rati; in eodem Monasterio sunt pro-  
bi, & litterati ministri, alij fortè im-  
perfecti, & indocti. Invigilet ergo E-  
piscopus irregularem, quem idoneum  
reperit antequam ad examen revo-  
cet, vel à munere cōfitendi suspendat:  
quia ad hoc jus, & potestatem habet.  
Ceteros autem idoneos sine causa  
molestare iniquum videtur, & exor-  
bitans, & consequenter nullum, &  
inane. Audiamus decretum sacre  
Congregationis editum 20. Novem-  
bris 1615. relatum à Gavanto, Laurentio  
de Peyrin, Alphonso de Leone, &  
Lezana *loci citatis*. (Illustrissimi ejus-  
dem sacre Congregationis Patres, re-  
mature pensata ad omnem scandali  
materiam submovendam, & quo  
magis spiritali piarum mentium  
consolationi consulatur statuunt, &  
decernunt Archiepiscopis, Episcopis,  
alijsque locorum Ordinariis, ad quos  
Confessarios approbandi jus spectat,  
Confessarios Regulares, alijs ab ipsis  
liberè approbatos ab audiendis con-  
fessionibus posthac minimè licere,  
nisi ex nova causa, eaque ad confes-  
siones ipsas pertinente, aut ob non  
servatum interdictum ab ipsis Ordina-  
rarijs positum. Statuerunt insuper  
eosdem Archiepiscopos, Episcopos,  
locorumque Ordinarios confessiones  
audiendi facultatem omnibus si-  
mul unius Conventus regularibus  
confessariis eadem sacra Congrega-  
tione consulta, nullo pacto adimere  
posse. Quod quidem decretum, ut  
idem Illustrissimi Patres opportu-  
num, & necessarium duxerunt, ita  
inviolabiliter jubent observari.)  
Consonat aliud decretum ejusdem

S. Congregationis 14. Junij anno  
1647. expeditum.

82. Sed major difficultas est, an  
approbati regulares ab uno Episco-  
po, possint à successore in eadem  
Diœcesi iterum examinari, approba-  
ri, vel reprobari, ex eo præcisè, quod  
vultus sui gregis agnoscat, & sciat  
quos ministros pro suis ovibus ha-  
beat, non existente alia justa causa  
cognita, & probata, eaque ad confes-  
siones pertinente? Si enim hæc in-  
terveniat, proculdubio poterit, ut su-  
perius diximus. Quod contingit res-  
pectu unius, vel alterius; sed de om-  
nibus in generali loquimur. An Epif-  
copus de novo ad suam Diœcesim  
accedens, possit per edictum genera-  
le omnes regulares ad examen ite-  
rum vocare, quousque ab eo de novo  
approbentur, à munere cōfitendi  
suspendere? Quod his temporibus  
passim ab Episcopis fieri cernimus,  
non sine magno scandalo, & pertur-  
batione tam sæcularium, quam regu-  
larium. In quo est certum id, quod ex  
communi sententia docet Diana 3.  
*part. tract. 2. resolut. 27. sine*. Quod si  
successor Episcopi revocet per edi-  
ctum generale omnes licentias, non  
intelligatur loqui cum regularibus,  
nisi de illis faciat expressam mentio-  
nem.

83. Imò etiam ut certum judica-  
mus, quod licet successor Episcopi  
posset generaliter omnium regula-  
rium suspendere licentias, eosque  
ad examen, & approbationem ite-  
rum vocare; id non posset Capitulum  
in sede vacante. Tum propter con-  
cessionem Clementis IV. quam re-

Status  
difficul-  
tatis  
propo-  
nitur.

Capitu-  
lum in  
sede va-  
canti  
nullo  
modo  
potest  
Confes-  
serg



fert Diana loco citato. Tum etiam, quia Capitulum non succedit loco Episcopi successorij, sed loco prioris Episcopi mortui, amoti, vel assumpti; quem non posse id facere diximus. Tum denique: quia sic concessit Clemens V. apud Confectium pag. 18. pro Dominicanis illis verbis: *Concedimus ut in huiusmodi casu (mortis nimirum Episcopi) possit uti tandiu predicta licentia (audiendi nempe confessiones secularium) donec viduatibus Ecclesiis provisum fuerit de Pastore.* Sic Bosius sect. 3. de Jubiileo, casu 2. num. 47. Miranda tom. 1. quaestione 45. art. 7. prope finem concl. Fagundez precept. 2. lib. 7. c. 2. num. 28. Bordon. tom. 2. resolutione 36 num. 24. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 27. §. notandum, & 8. part. tract. 7. resolut. 49. Antonius à Spiritu sancto in direct. Confess. tom. 1. tractat. 5. disputatione 13. sect. 12. num. 893. Delbene tomo secundo, cap. 14. dub. 18. sect. 11. num. 26. Pellizzar. tract. 8. cap. 3. num. 44. Rodriguez, Sylvius, & alij, quos refert Tancredo tract. 1. disputat. 2. quaestione 13.

84. Igitur circa quæsitum, prima sententia est affirmativa. Et probatur primo ex Extravaganti Pij V. Romani Pontificis providentia anno 1571. ubi sic dicit: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate, & diocesi sua, pravo examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: à successore autem Episcopo pro majori sua conscientia quiete examinari de novo poterunt.* Secundo: quia id habetur expressè ex declaratione S. Congregationis Cardinalium, quam adducit Lezana tom. 1. cap. 19. num. 7.

qua sic dicit: *Congregatio Concilij censuit regulares ad audiendas confessiones secularium in civitate, & diocesi ab Episcopo pravo examine approbatos iterum ab eodem examinandos non esse: Caterum posse iterum à successore examinari, juxta constitutionem S. memoriae Pij V. data idibus Augusti, Pontificatus sui an 6. §. Tertio: quia successor non tenetur stare approbationi sui antecessoris; sed ut sciat quibus ministris suas oves credere possit, & pro quiete, & satisfactione suæ conscientiæ, potest illos iterum ad examen vocare, & approbare idoneos, & reprobare ineptos; ac proinde licentias suspendere, quousque de novo examini subjiciantur. Sic Vivaldus in candelabr. 1. part. titul. de Confess. n. 28. Lezana loco citato. Miranda tom. 1. quaestione 45. art. 7. Bordonus resolutione 37. num. 20. Riccius tom. 4. resolut. 70. num. 5. Bosius sect. 3. casu 2. num. 43. Pellizzar. supra num. 43. Joannes Sanctius in select. disput. 48. per totam. Zanardus in direct. Theolog. part. 2. de Sacrament. Pœnitent. cap. 24. §. 4. Fagundez precept. 2. lib. 7. capite 2. num. 30. Joannes à Cruce libro secundo, capite 6. dub. 4. Diana 3. part. tractatu secundo, resolut. 27. & alij.*

85. Cæterum oppositam sententiam defendens illustrissimus Arauxo Episcopus Segoviensis in decisionibus moralibus tractatu primo, quaestione octava, numero duodecimo, postquam retulit contrariam sententiam. hæc dicit (sed rigidum nimis hanc, & aliorum Prælatorum fuisse sententiam, nuper huiusmodi licentias regularibus alias approbatis suspenden-

dentem, & in his regnis non sine ingenti scandalo populi, & religionum turbationem executioni mandata, ipse rei eventus probavit. Bulla autem ipsa Pij V. cui innitebantur, nullum eorum suasioni potuit fundamentum præbere: nam hæc, & aliæ, quas edidit dictus Pontifex in favorem status Ordinum mendicantium, fuerunt per ejus successorem Gregorium XIII. moderatæ, & ad juris communis, & terminos Concilii Tridentini redactæ, prout constat ex ipsa Bulla Gregorij à Navarro transcripta in manuali Latino ad calcem capitis ultimi, quæ incipit: *In tanta negotiorum mole.*) Et postquam verba Bullæ Gregorij XIII. adduxit, profertur. (Præter hanc reductionem dictæ constitutionis Pij V. ad terminos juris communis Concilij Tridentini, cujus præfati Prælati ignari non debebant esse; fuit etiam pro parte Catholici Hispaniarum Regis Philippi II. per ejus Ambassatorem supplicatum coram eodem Summo Pontifice à dicta constitutione, ut eam melius informatus veller pro his saltem regnis revocare. Quæ supplicatio neque debuisset eisdem Prælatos latere. Et alias cum esset super constitutione contraveniente Concilio Tridentino in Hispania generaliter recepto, & cujus observantia cunctis Principibus Christianis in ejusdem confirmationis Bulla summopere commendabatur, operabatur effectum suspensionis, prout latius docuimus in quæstion. select. de appellationibus.) Hactenus Antistes sapientissimus.

68. Quare dicendum est regulares semel ab Episcopo approbatos non posse sine nova causa ad confessiones pertinente, à successore Episcopi, qui eos examinavit, & approbavit iterum examinari, & approbari. Ita præter Episcopum Arauxo, tenet alius Episcopus Angolensis Antonius à Spiritu Sancto in *direct. regul. tractatu secundo, disputatione 3. sect. 1. num. 9. & in direct. Confess. tract. 5. disp. 13.* Dicastillo *disp. 10. de pœnit. num. 318.* Zelozius de Hurasch. *lib. 5. c. 25.* Villalob. *tom. 2. tract. 9. difficult. 53. num. 5.* Delbene *tom. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 1. num. 24.* & huic parti magis videtur adhærere Diana *6. part. tract. 7. resolut. 62.* qui circa hanc difficultatem suspendens judicium, ut de more habet, in fine concludit: (Vellem Dominos Episcopos conservare regularibus privilegia, & considerare, quod pro illorum tuitione non desunt Authores magni nominis, & simul agnoscere merita regularium, & quantum eis debetur pro servitiis factis, & quæ in dies faciunt Ecclesiæ universali, & eorum particularibus Diœcesibus.) Tenet etiam Vivaldus *1. part. de absolut. folio mihi 122.* ubi etiam adducit declarationem quandam Cardinalium, factam anno 1587. quam se vidisse testatur, dicentem regularem semel approbatum non teneri iterum examinari, & approbari, Navarrus *cap. 27. num. 226.* Vega *cap. 62. casu 8.* Henriquez *lib. 7. cap. 6.* Lopez *2. part. instruct. confess. cap. 8. de Bulla, fol. mihi 805.* Rodriguez in *explicat. Bulla, §. 9.* Vasquez *3. part. quæst. 93. art. 3. dub. 5.*

Sen-  
ten-  
tia pro-  
posita  
probatu-  
r

num. 3. & 4. Alphonsus de Caranza, quem refert, & sequitur Leander à sanctissimo Sacramento tom. 1. tr. 5. disp. 11. quest. 91.

87. Probatu-  
r hæc sententia : nam in Clementina *Dudum*, & *Extravaganti 2. de sepulchris*, & aliis juribus, & privilegiis, conceditur regularibus, ut semel absolute ab Episcopo approbati, non teneantur iterum secundo se examini subicere; quæ quoad hanc partem revocata non sunt per Tridentinum: quia in eo solum petitur, quod confessarius sit ab Episcopo approbatus; quod autem regulares semel ab Episcopo approbati, absque nova causa superveniente, pertinente ad confessiones approbentur, & examinentur à successore, nec in Tridentino, nec in alio jure invenitur: ergo non est cur talis facultas Ordinariis concedatur contra jus commune, & contra privilegia religionum. Nec obstat Bulla Pij V. propter ea, quæ numer. 84. diximus, etsi revocata non esset, nec pro Hispania suspensa; in ea solum novis Episcopis conceditur, quod possint iterum regulares examinare pro majori suæ conscientiæ quiete. Quod tunc accidit (ut bene inquit Villalobos) quando Episcopi, qui de novo adveniunt, informati sunt aliquem, vel aliquos regulares non esse in litteratura sufficientes, vel errores committere, vel alios defectus in hoc Sacramento. Et hoc ipsum intendit declaratio S. Congregationis Cardinalium: & tunc fatemur posse illos particulares ad examen vocare, & approbare, vel reprobare, prout ei visum

fuerit. Sed omnium licentias suspendere, omnes per edicta publica ad approbationem vocare, ad quietem suæ conscientiæ minimè conducit; sed potius ad illius turbationem, & populorum scandalum. Et certè, melius suæ conscientiæ securitati consulere, hoc curæ Prælatorum regularium remittendo, qui semper invigilant, ut ad hoc Sacramentum ministros idoneos apponant, eosque circa litteraturam, & mores multoties examinant.

88. Confirmatur primo: quia Concilium pro secularibus confessariis solum petit, quod Parochiale habeant beneficium, per cujus collationem approbantur: quæ approbatio semper durat, quandiu Parochiale durat beneficium; ita quod eo permanente, nec à novo Episcopo possint Parochi ad examen vocari, uti ex communi sententia docet Lugo disputat. 21. sect. 3. numer. 63. Dicastillo *disputatione decima, dub. 10. num. 292.* Mendo in Bullam, *disp. 22. cap. 3. numer. 56.* Bordon, *resolut. 36. questione 35. & resolutione 37. num. 20.* Joannes à Cruce *libro secundo, cap. 6. dub. 4. conclusione 4.* Nec ob id, ob quietem suæ conscientiæ debent eos Episcopi novi iterum examinare; cum tamen accidere possit, ut qui idonei aliquando fuerint, modo sint insufficientes: ergo idem potiori ratione dicendum est de regularibus, quorum approbatio semel ritè accepta semper durat; neque est de illis minor sufficientia præsumenda, quam de Parochis secularibus. ¶ Confirmatur secundo: quia omnes ferè

Confir-  
matur et  
paritate  
cum  
Parochi

ferè Authores tenent non posse eundem Episcopum semel approbato regulares, iterum ad examen vocare, uti ex communi diximus *numer. 79.* & ex Bulla Pij V. & declaratione Cardinalium *numer. 83.* adductis amplius patet. Et hoc, quia in Clementina *Dudum*, & *Extravagantibus citatis*, & alijs privilegijs eis conceditur, posse sæcularium confessiones audire, si à suis Prælatijs præsententur, & approbentur: & solum per Tridentinum fuerunt moderata, ut requiratur approbatio Episcopi Diocesani, à qua dicunt solum in fieri, non in conservari dependere; neque ab eo quoad usum posse limitari, si semel fuit absolute concessa: quia jurisdictionis provenit regularibus à Papa, & solum requiritur una approbatio Episcopi non iterata, nisi ipsi confiterentur de insufficientia, & pro conscientia quiete voluerit unum vel alterum ad examen vocare: idem ergo dicendum erit in Episcopo de novo adveniente, cum in utroquo currat eadem ratio.

§. VI.

*Qualiter unius Ordinis religiosi possint cum extraneis, sive religiosi sint, sive sæculares confiteri?*

Religio- 89. **H**ucusque egimus de appro-  
fi unius batione Episcopi requisita  
Ordinis in regularibus: ad alia in hujus pun-  
absque ctu limine promissa deveniamus. Et  
suorum primo de confessarijs comparatis,

cum religiosi alterius Ordinis loquimur; postmodum de ipsis in ordine ad suos religiosos; postea de illis comparatione ad sæculares. Igitur de religiosi in ordine ad confitendum cum confessarijs extraneis, possumus loqui, vel jure, & privilegijs communibus inspectis; vel ex vi privilegij Bullæ Cruciatæ: de hoc dicemus *§. sequenti*; de primo loquimur in isto. Et quærimus, an regularis unius Ordinis possit religiosos alterius Ordinis ad eos accedentes confiteri? Ad quod dicimus, quod si religiosus habuerit sui Ordinis copiam confessarij, nec intra, nec extra suos Conventus potest cum religiosi alterius Ordinis, & minus cum sæcularibus sacerdotibus confiteri, nisi de licentia expressa, vel tacita suorum Prælatorum, nimirum Prælatorum pœnitentijs: quod patet *ex cap. omnis 12. de pœnitentijs*. Tum etiam: quia quælibet religio habet specialia privilegia, ut sui non confiteantur cum extraneis nec intra, nec extra Conventum, si habeant sui Ordinis Confessarium, ut constat ex privilegio Innoc. VIII. Bulla 3. & Clement. VIII. Bulla 4. quas referi M. Joannes à Cruce *lib. 1. c. 6. dub. 12.* & Gregorij XIII. & Extravag. Benedicti XI. *Cum inter cunctas*, de privil. & Sixti IV. *in mari magno*, illis verbis: *Inhibemus insuper universis Fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alij, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsitan Magister, vel Prior proprius al cui fratri dederit fratri alteri ejusdem Ordinis licentiam confitendi. Quæ privilegia revocata non sunt*

Prælatorum licentia, nequeunt extraneis confiteri.

sunt per generalia illa privilegia Leon. X. Nicol. III. Sixt. IV. Greg. XIII. in quibus conceditur regularibus Confessariis approbatis ab Episcopo, ut possint Christi fideles, undequaque ad eos venientes, ab omnibus peccatis, & casibus, & censuris, etiam Apostolicæ Sedi reservatis absolvere, exceptis his, quæ in bulla Cœnæ Domini continentur. Quia hæc non loquuntur, nec extenduntur ad Religiosos, tamen si aliàs veniant nomine fidelium, propter Ordinis laudabilem consuetudinem contrariam, quæ est optima legum interpretis; & privilegium generale non derogat specialibus anterioribus; maxime si hæc jure communi, & consuetudine approbata, & firmata fuerint. Palaus tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 14. num. 11. Joannes à Cruce de voto obedient. lib. 5. cap. 6. dub. 11. conclus. 4. Suarez tom. 4. de religion. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 9. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 90. Fragos. 2. part. lib. 11. disp. 24. §. 14. num. 1. Lezana tom. 1. cap. 19. num. 29. Bord. tom. 1. resolut. 2. num. 24. Portell. in dub. regul. confess. n. 13. Ant. à Spir. S. in Direct. Confess. tr. 5. disp. 16. sect. 2. n. 13 11. & alij communiter, nisi in aliqua Religione, lege, aut consuetudine non detur prohibitio: quia tunc ex vi dictorum Privilegiorum, poterunt aliorum Ordinum fratres confiteri independenter à suis Prælati.

Ab illa generali regula excipiuntur Prælati.

90. Excipiuntur à generali illa regula omnes Prælati, quos num. 50. ex communi sententia diximus habere facultatem concessam in cap. finali, de

penitentis, eligendi Sacerdotem simplicem ejusdem, vel diversæ Religionis in confessorem, non solum extra, sed intra Conventum, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam reservatis in Religione, à quibus ipsi suos subditos absolvere possunt, sive habeant, sive non habeant copiam sui Ordinis Confessoris, si alias non habent statutum contrarium, ut docent Bordon. tom. 1. resolut. 34. n. 28. Miranda, Villalob. Grassis, Diana, quos refert, & sequitur Dicastillo tract. 8. disput. 10. dub. 16. num. 87. N. Antonius à Spiritu sancto num. 22 quæ resolutio (inquit) procedit etiam in nostris Prælati, non obstante constitutione nostra dicente; quod nullus Religiosus, etiam Sacerdos, sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis confiteri præsumat; de qua fusius postea loquemur: & alia, quæ dicit, quod fratres habita Confessoris Ordinis copia, non confiteantur extraneis. Quod verissimum judicamus, non propter rationem, quam hic author adducit, quia nimirum constitutiones nostræ non sunt à Pontifice confirmatæ; sunt etenim ab Alexandro VII. ut constat ex ejus Brevi, initio constitutionum adducto. Sed quia licet in favorabilibus nomine monachi veniant Abbates, non tamen in odiosis: maxime si jus commune illis pro contrario assistat, ut in præfenti contingit. Portell. in dub. regul. verb. Abbas, n. 5. Diana 3. part. tr. 2. resolut. 1. per totam.

91. Sed

Tempore mag-  
ni Jubi-  
lei pos-  
sunt regu-  
lares  
cum Re-  
ligiosis  
alterius  
Ordinis  
confiteri

91. Sed inquires primo, an tem-  
pore magnorum Jubileorum, quæ  
solent toti Ecclesiæ Pontifices con-  
cedere, maximè quando ad Pontifi-  
catum assumuntur, possint fratres,  
aut moniales unius Ordinis juxta te-  
norem Bullæ Jubilei tam intra, quam  
extra Conventum, etiamsi sui Ordinis  
Confessoris copiam habeant, & hoc  
absque ulla licentia Prælatorum?  
Respondetur affirmativè. Et hoc non  
obstantibus suorum Ordinum con-  
stitutionibus, & privilegiis in contra-  
rium: & constat ex plurimum teore  
Privilegiorum, quæ ad verbum affer-  
runt Lugo, Quintanadvennas, Man-  
do infra citandi. Et quia Jubileum  
vocatur gratia universalis, quæ con-  
ceditur omnibus indifferenter, & sic  
sine subjectione lucrantis illud ad  
suum immediatum superiorem. In  
Jubileis namque universalibus, quæ  
Jubileum, & gaudium spirituale sig-  
nificant, Summus Pontifex ut Pa-  
stor universalis Thesaurus Ecclesiæ  
æqua lance, pro omnibus indifferen-  
ter potrigit, ut omnes per illud, à con-  
scientiæ nexibus liberi, in Domino  
lætentur. Sic Navar. consil. 3. de statu  
Monach. n. 51. So. o lib. 8. de justit. quæst.  
5. art. 1. Rodriguez tom. 8. quæst. 22.  
art. 6. Bordon. tom. 1. resol. 34. n. 4. &  
45. Palau punct. 15. §. 2. n. 11. Lugo  
disp. 20. sect. 9. n. 186. Quintanadven-  
nas de Jubileo, c. 19. Anton. à Spir. S. n.  
1319. Bossius de Jubileo, sect. 3. casu 4.  
n. 17. Fragofo 2. part. lib. 2. disp. 6. §. 5.  
n. 43. Mendo in Bull. disp. 24. cap. 14. n.  
155. Pey in. in addition. ad const. Leo-  
nis X. c. 4. n. 3. Diana 9. part. tr. 8. resol.

55. Leander. tom. 1. tr. 5. disp. 14. q. 85.  
& 86.

92. Inquires secundo: an Reli-  
giosi itinerantes, vel extra domum  
existentes, non habentes sui Ordinis  
Confessarium idoneum, possint con-  
fiteri cuicumque simplici Sacerdoti  
sæculari, vel regulati alterius Ordinis?  
Respondetur affirmativè, dum-  
modo statutum in contrarium non  
habeant; quod apud nos minimè re-  
peritur, & hoc ex tacita prælatorum  
licentia, in ipsa facultate ad exeun-  
dum imbibita, & ex praxi, ac con-  
suetudine Religionum, videntibus, &  
non contradicentibus Prælati, quo-  
rum interest. Et ex privilegiis Sixti  
IV. & Innocentij VII. quorum verba  
adducit Bordon. resol. 34. n. 2. & 3.  
Joannes à Cruce lib. 1. cap. 6. dub. 11.  
concl. 1. Ponam verba Innocentij VII.  
Nos igitur supplicationibus inclinati,  
fratribus hujusmodi quos itinerare, &  
per eorum Superiores mitti contigerit,  
ut si aliquem presbyterorum idoneum ex  
professoribus dicti Ordinis, habere non  
possint, quemcumque alium presbyterum  
idoneum, & discretum Religiosum vel  
sæcularem eligere valeant, qui confes-  
siones eorum audire, & eorum confessioni-  
bus diligenter auditis, pro commissis eis  
debitam absolutionem impendere, & pœ-  
nitentiam salutarem injungere, licitè pos-  
sit. Ubi notandum est, idoneum Sa-  
cerdotem pro confessionibus Reli-  
giosorum audiendis reputari quem-  
libet Sacerdotem simplicem, id est,  
non approbatum ab Episcopo, vel  
Prælati; dummodo non sit suspen-

Religiosi  
itineran-  
tes cui-  
cumque  
simplici  
Sacer-  
doti sæ-  
culari,  
vel regu-  
lari pos-  
sunt con-  
fiteri.

Gggg 3 sus

sus, aut excommunicatus: talis enim censetur confessor idoneus pro secularibus ante Tridentinum, ut docent D. Antonin. 3. part. titul. 1. cap. 7. Sylvester verb. Confes. 1. §. 3. Soto in 4. disputat. 18. quest. 4. artic. 3. sed in eo sess. 23. cap. 15. statuitur, quod pro secularibus etiam Sacerdotibus, ille solus idoneus reputetur, qui est parochus, aut ab ordinario approbatus, ut supra numer. 53. diximus. Sed pro Religiosis nihil Concilium innovavit, & ideo resolutionem nostram tenent Rodriguez in qq. regular. tom. 1. quest. 62. art. 5. Joannes à Cruce supra conclus. 3. Urbanus fol. 291. reg. 31 Bordon. tom. 2. resolut. 2. num. 24. & resol. 34. numer. 2. Portel. verb. Confessor. erga fratres, numer. 14. Antonius à Spiritu sancto in direct. regular. tract. 2. disputat. 2. sect. 1. n. 12.

Status  
difficul-  
tatis pro  
ponitur.

93. Inquires tertio: an possint Religiosi nostri, vel alij, quibus leges propriæ id prohibent confiteri sacerdoti simplici suæ Religionis non approbato à Prælatis, quando extra domum existunt, & non habent copiam confessarij sui Ordinis ex approbato à Provinciali? In aliquibus Religionibus non possunt Religiosi confiteri, etiam dum itinerantur, extero Sacerdoti, si habeant sacerdotem etiam simplicem ejusdem Ordinis, ut probat Bordon. resolut. 34. numer. 1. & 4. Apud nos e contra: etiam si Religiosi nostri propriam Sacerdotem simplicem secum habeant, illi confiteri non possunt tam intra, quam extra monasterium: & si

alterius Ordinis, vel sæcularem Sacerdotem simplicem habeant, cum illo valent confiteri. Hoc secundum constat ex adductis privilegiis, num. preced. Contra quod nihil est in nostris legibus statutum. Primum patet ex nostris constitutionibus 2. part. capit. 6. numer. 5. verbis supra numer. 56. relatis. Quæritur ergo modo, an non obstante tali lege, possint Religiosi nostri itinerantes, vel extra domum existentes confiteri Sacerdoti simplici nostri Ordinis, sive habeant, sive non alterius extranei Sacerdotis copiam? & loquimur de confessione mortalium; nam de venialium confessione, vel mortalium alias rite confessorum omnes asserunt, & licitè, & validè posse, sicut omnes Sacerdotes simplices possunt illorum confessiones audire, & lex absolutè prohibens confiteri cum hoc vel illo confessario, semper intelligitur de materia necessaria pro confessione, non de materia, quæ libere confiteretur, & libere potest omit-  
ti.

94. Dicimus ergo ad quæ-  
tum, nullo modo posse Religiosos  
nostros, vel alios, qui simile statu-  
tum habuerint, confiteri Sacerdoti  
simplici suæ Religionis. Et si id at-  
tentaverit, confessio erit nulla. Tum:  
quia dantur circa hoc plura privile-  
gia religionibus concessa, ne fratres  
virtute alicujus privilegij possent  
confessorem eligere contra regulam,  
& statuta sui Ordinis, vel sine licen-  
tia suorum prælatorum. Quæ licen-  
tia prorsus negata est, quando leges,  
& sta-  
Religio-  
si nostri,  
etiam ex-  
tra do-  
mum,  
non  
possunt  
confiteri  
cum  
simplici  
Sacer-  
dote Or-  
dinis;  
& sta-  
possunt

tamen & statuta oppositum decernunt. cum factu. Quod patet ex Bulla Bonifacij VIII. culari- quam refert Rodriguez q. 9. artic. 8. bus vel & Pij V. Bulla 13. pro Dominicis & Gregorij XIII. pro Jesuitis, & Six- regulari- ti IV. pro Carmelitis; quam refert bus alte- rius Or- dinis.

Lezana in mari magno Carmelitar. circa §. 27. numer. 496. & Clement. VIII. nobis Carmelitis Disca'ceatis concessa, prout habetur in nostro Compend. fol. 180. numer. 13. in quibus nititur lex nostra dicens: *Innitentes tam juri communi, nostrisque statutis, atque antiquæ consuetudini, quam Pontificum privilegia declaramus, &c.* Tum etiam: quia omnes asserunt, non posse regulares contra voluntatem expressam Prælatorum, confiteri Sacerdotibus non approbatis ab eis: quia hoc ipso carent illi Sacerdotes jurisdictione in Religiosos omnino necessaria ad illos confitendos: sed si Religiosi nostri Sacerdoti simplici nostri Ordinis tam intra, quam extra Monasterium confiteri attentaverint, confitentur Sacerdoti non approbato à Prælati; nec de illorum aliqua licentia, quam ipsi immediati Prælati concedere non possunt, nec ex præsumpta Superiorum licentia, cum oppositum constet ex legibus, in quibus voluntas expressa Prælatorum contraria reperitur: ergo, &c.

Sic Rodriguez tom. 1. quest. 62. artic. 4. Bordon. resolut. 4. numer. 20. & resolut. 34. numer. 35. Antonius à Spiritu sancto loco citato, ex Director. Confessor. numer. 14. Portel. numer. 12. Trullench. in Praxi Sacrament. lib. 4. capit. 9. num. 83. Candid. com. disquisit. 43. artic. 39. dub. 3. & tom. 2. disquisit. 24. artic. 57. dub. 7. Villal. tom. 1. tractat. 9. difficult. 54. in fine. Lezana tom. 1. capit. 18. numer. 26. Delbene tom. 2. capit. 14. dum. 18. sect. 8. numer. 3. Possunt tamen Religiosi alterius Ordinis extra Conventum existentes, quique in oppositum leges, aut statuta non habent, confiteri cum Sacerdotibus simplicibus nostræ Religionis, & isti Confessiones illorum audire, quia ex vi supradictorum privilegiorum possunt Religiosi extra domum Sacerdotem simplicem in confessorem eligere, & alias ex parte Religiosorum nostrorum nulla datur lex id prohibens; quia constitutio nostra solum prohibet Religiosos nostros non approbato Religiosorum sui Ordinis confessiones audire; non vero Religiosorum alterius Ordinis, ut constat ex verbis illius. Ergo, &c. Sic N. Ant. à Spir. S. loco ex Director. regul. adducto num. 23. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. resolut. 36. numer. 42. & resolut. 34. v. 3. & 27.



## §. VII.

*An possint regulares uti privilegio Bullæ  
Cruciata ad eligendum Con-  
fessorem extra suam  
Religionem.*

Quid  
circa  
hoc Bul-  
læ Cru-  
ciata con-  
cedat.

95. **H**ic loqui possumus vel de electione Confessarij extranei, qui absolvat eos à casibus reservatis vel Pontifici, vel suis Prælati; vel qui solum absolvat à peccatis mortalibus non reservatis. Quia dispar est ratio in uno, & in alio casu: & ideo dantur authores, qui primum negant, & concedunt secundum. Per privilegium ergo Bullæ Cruciatæ, omnibus illam recipientibus datur facultas eligendi confessarium ab Ordinario approbatum, qui absolvat eos ab omnibus peccatis, & censuris non reservatis toties, quoties, ac reservatis Pontifici etiam in Bulla Cœnæ (excepta hæresi) semel in vita, & semel in morte. Quæritur ergo modo, an regulares, sive Religiosi sint, sive moniales, absque licentia suorum prælatorum possint eligere virtute hujus indulti Bullæ Cruciatæ confessarium exterum sæcularem, vel Religiosum ab Ordinario approbatum, à quo ab omnibus peccatis liberè absolvi poterit.

Posse per  
Bullam  
regula-  
res eli-  
gere  
Confes-

96. Prima ergo sententia erga primam difficultatem absolutè, & universaliter asserit virtute Bullæ Cruciatæ posse omnes regulares utriusque sexus, eligere confessorem exterum regularem, vel sæcularem, à

suo Ordinario approbatum, qui absolvat eos tam à non reservatis, quam à reservatis, sive à Pontifice, sive à suo Ordine. Probatur hæc sententia hoc discursu. Nam ex verbis Bullæ conceditur etiam Religiosis, ut uti possint illius indulto in Ordine ad eligendum Confessorem, quem voluerint, qui eos absolvat ab omnibus peccatis, & censuris cuicumque reservatis, etiam Sedi Apostolicæ, modo dicto *precedenti num.* & latè à nobis *tom. 2. tr. 10. de censuris c. 2.* explicato; sed non dantur alia diplomata pontificia simile indulgum revocantia: ergo possunt regulares uti illo, non minus ac sæculares bullam recipientes, in ordine ad eligendum sibi confessarium, à quo absolvantur ab omnibus peccatis, & censuris tam reservatis, quam non reservatis. Consequentia, supposita majori, & minori, est manifesta. Major autem probatur primo ex illis verbis generalibus Bullæ: *Omnibus fidelibus utriusque sexus, cujuscumque conditionis, & qualitatis, &c.* Quibus verbis manifestè comprehenduntur Religiosi, & moniales: nam concessio generaliter est intelligenda, *c. solito, §. finali, de majoritate, & obedientia.* Et ideo in ipsa bulla, facta expressa mentione sæcularium, & regularium, concedit omnibus facultatem edendi ova, & lacticiam; & à facultate ista pro diebus Quadragesimæ excipit Religiosos: sed in facultate eligendi confessorem generaliter loquendo de regularibus, & sæcularibus, nulla apponitur exceptio: ergo in illa Religiosi comprehenduntur.

97. Se;

validis-  
ma ra-  
tione  
hæc sen-  
tentia  
proba-  
tur.

97. Secundo: quia hoc expressè habetur in Bulla Pij IV. ut inquit Manuel Rodriguez in expositione Cruciatæ, §. 9. num. 24. conclus. 5. & eam se vidisse restatur Salas quest. ultim. in Bull. & ex ipso verba concessionis affert. Castrus Palaus tract. 25. punct. 8. §. 2. num. 5. quæ sunt ista: *Concede su Santidad que todas las demas personas, aunque sean Religiosos, y de las Ordenes mendicantes, sin que tengan licencia de sus Superiores gozen del dicho Jubileo plenissimo, y puedan elegir Confessor, Clerigo, o Religioso, el qual oyga su confesion le pueda absolver de todos sus peccados, quanto quier graves, y enormes, &c. & infra: y quiere su Santidad, que cada vez, que tomaren esta bulla gozen de nuebo de todas las otras, que hubieren tomado; specialmente de esa gracia de elegir Confessor, y ser absueltos plenariamente, aunque sean (como dicho es) Religiosos, o Religiosas, aunque sean mendicantes, sin licencia de sus Superiores.* Et sic astento tenore Bullæ Cruciatæ; & præscindendo ab aliis diplomatibus pontificiis posse Religiosos eligere modo dicto Confessarium, quem voluerint, ferè omnes Doctores, etiam ex his, quos pro opposita sententia infra citabimus, docent. Quod non caret rationabili causa: quia sicut aliquibus hæc amplissima facultas eligendi confessorem aniam peccandi præboret; alijs difficultas recurendi ad Superiorem pro commissis occasio esset, ne statim à peccatis resurgerent, sed in gravioribus relabantur, & continuo peiores fiant. Unde monet D. Thomas in 4. dist. 17. quest. 3. art. 3. quest. 4. *Peccaret Sacerdos, si non esset*

*facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiteri vellent.* Unde illi qui sunt minus solviti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciunt, multa laqueum damnationis injiciunt, & consequenter sibi ipsis. Ob idque in nostra Sacra Religione, ut fratrum conscientia liberius mundarentur, nullus datur casus reservatus præter casus Papales, qui sunt de jure communi in omnibus religionibus Prælati, aut Pontifici reservati, part. cap. 4. n. 3.

98. Deinde illa minor hujus difficultas, quod non dantur aliquæ Pontificiæ dispositiones contra dictum indulgendum Cruciatæ, illud revocantes, probatur in his, quæ communiter circumferuntur, specialiter Clement. VIII. & Urb. VIII. quas infra dabimus, in quibus non suffragari Bullam Cruciatam pro Religiosis, aut monialibus habetur; has autem contra dicta non militare probatur. Tum quia tales constitutiones revocantur per subsequenter bullam, quæ quotannis publicatur, in qua revocantur omnia contraria: quod maximè procedit mortuo illo Pontifice, qui tales edidit constitutiones; qui cum non poterit ligare manus successorum, eo ipso, quod isti de novo concedant Cruciatam, intelligitur concessa, ut sonat, absque aliqua limitatione. ¶ Tum etiam: quia pro Constitutione Urbani VIII. confirmativa alterius à Clem. VIII. supplicatum fuit in Hispania à Comissario Generali, ut inquit Leander tom. 1. tr. 5. de Pen. disp. 12. q. 58.

H h h h

ad 8.

ad 8. ubi affirmat, sic sibi respondisse M. Arauxo: quod & ipse Arauxo in *decision. mor. tract. 1. quest. 8. num. 28.* testatur dicens: De mandato, & Ordine Regis nostri Philippi IV. supplicatum esse per Commissarium Generalem. Et juxta doctrinam M. Serra 1. 2. *quest. 95. art. 3. §. nunc ergo;* dum ab aliqua lege pontificia supplicatur, interim ejus obligatio suspenditur, & non peccat, qui illam non servat. Et legislator audita supplicatione; etiam si nihil respondeat, sed taceat, censetur consentire, & legis obligationem taci est auferre. § Tum denique arguit Basilius Pontius *lib. 8. de matrimon. cap. 19. §. 2. num. 13. & 14.* & ex professo in *manuscriptis de Penit. quest. ult.* Quia privilegium Bullæ non est gratiosum, sed per modum contractus onerosi, do, ut des. Nam recipiens dat eleemosynam, ob quam Pontifex largitur indulgentiam, ut omnes dicunt: sed privilegium per modum contractus revocari non potest à Pontifice, nisi ob gravissimam causam boni communis, & facta satisfactione partis, ut ex communi sententia diximus *hoc tract. cap. 2. num. 30.* cum ergo in præsentia nulla detur satisfactio Religionis pro eleemosyna ab eis elargita in receptione Bullæ; privilegia illius non debent intelligi verè à Pontificibus revocari, sed Bullas, quas ad petitionem diversarum Religionum dedere, magis esse ad terrorem Religiosorum, quam ad veram Cruciatæ revocationem. Quod ex eo probat Basilius, quia poterant Pontifices sine tanta Bullarum multitudine, uno

verbo in bulla Cruciatæ addito totam ambiguitatem auferre, excipiendo Religiosos ab indulto eligendi confessorem, sicut fecere in alio, pro lacticiis. Cum ergo hoc verbum noluerint apponere in bulla, quæ quotannis concedunt scientes circa hoc tot inter Religiosos esse controversias, dicendum erit ipsos nunquam voluisse Bullæ privilegium coarctare, sed ad terrorem subditorum petitioni Prælatorum annuere.

99. Authores pro hac sententia sunt plures, & gravissimi. Eam tenent M. Arauxo, M. Pontius locis proximè citatis. Idemque tenuisse M. Antolinez, M. Curiel Conejo, & alios doctissimos Universitatis hujus Salamantinae docet Villalobos *tract. 27. claus. 9. n. 13.* quam ipse probabilem reputat, eamque tenet Ludovic. Lopez in *instruct. conscientia, tom. 2. c. 8. pag. 822. §. Propterea hic*, Eusebius Herrera de *stat. relig. c. 9. per totum.* Valeius de *differentiis* utriusque *fort. differentia 1. concl. 5. & verbo nullitas, differ. 5. n. 2. sine.* Serafin. Freyas in *opuscul. de hoc edito, anno 1630.* Petrus de Leon. de *offic. & potest. Confess. p. 2. resolut. 11. n. 54.* Benedictus Remigijs in *pract. tract. 5. c. 5. n. 9.* Henriquez *lib. 7. c. 22. n. 4. in Glos. litt. X.* pluribus citatis Magistris, & viris doctis hujus Universitatis. M. Bannez, Joannes Vincentius, Luna, quos referi Joannes à Cruce in *epitom. lib. 1. cap. 6. dub. 12. conclus. 3.* & ipse probabilem dicit Perez de Lara *lib. de trib. gratiis fol. 27.* Joannes Sanctius *disp. 44. n. 10. & 13.* Juniperus à Drepano de *casib. reserv. p. 3. disp. 7. qu. 5. c. 3. & sequ.* Acarius de Velasco

Velasco tom. 1. respons. mor. verb. Bulla, resol. 128. n. 1. §. Mag. Fr. Anton. Baco Augustinianus in Summ. disp. 36. c. 11. ¶ Et probabilis dicunt Rodriguez in explicat. Bulla, §. 9. num. 25. & latius in qq. regular. tom. 1. quest. 21. art. 10. conclus. 6. Vincentius Candidus tom. 2. disquisit. 24. art. 62. dub. 4. conclus. 8. Villal. Joannes à Cruce loci citati. Mour. part. 3. c. 9. §. 8. n. 8. Trullench. in Bullam, lib. 1. §. 7. per totum in prima editione, & in 2. num. 27. M. Barnabas Gallego in Bull. cap. 12. clausul. 12. quest. 58. ad 2. & quest. 61. fine. Corduba de Indulgentiis q. 49. M. Fr. Joannes Martinez à Prado in Theolog. mor. tom. 1. quest. 5. §. 5. per totum. Et pro reservatis Pontifici Quintanadvenas tract. 3. singul. 26. n. 3. & 4. & pro aliis Religiosis Societatis Jesu Castro Palaus tom. 4. tract. 25. disput. unic. §. 2. & pro omnibus Ludovicus à Cruce in exposit. bull. disp. 1. c. 1. dub. 12. num. 2. Thomas Hortado tom. 2. tract. 9. c. 5. num. 74. Christophorus à S. Joseph tom. 1. recept. opin. 1. p. fol. 130. à num. 7. Ludovicus à Conceptione tom. 2. exam. tract. 1. §. 2. verb. Bulla, illation. 1. n. 5.

Esse valde probabilem dictam sententiam defendimus.

100. Unde miramur hanc opinionem Patres Societatis Jesu tam acri censura inurere, ut illam passim improbabilem dicant: quam vis ut testatur Trullench. lib. 1. in bull. §. 7. c. 1. n. 11. Nihilominus ab ipsiis practiari hanc sententiam audivi à viro probo, ac fide digno: ex quo possumus de illis, ac de aliis idem judicium facere: nimirum tenere ut probabilem istam sententiam. Sed causa hujus, quam assignat Doctissimus M. Martinez à Prado tom. 1. c. 6.

q. 5. §. 2. n. 7. est, quia ut refert Eminent. Cardinalis de Lugo *infra citand.* num. 154. sex à Congregatio Generalis decreto §. prohibuit, ne ullus ipsorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam sententiam tenere: quod & præceperunt RR. PP. Generales Societatis, ut latè Mendus in *Bul. disp. 24. toto c. 15.* Escobar de Mendoza l. 7. problem. 32. n. 559. Sed quidquid sit de hoc eam improbabilem dicunt Suarez, Lugo, Palaus, Mendo, Escobar, Moya, Fragofo *infra citandi.* Tum propter tot, & toties repetitas Pontificum Ordinationes. Tum: quia ex opposito timeri posset magna disciplina Religiosa relaxatio. Cæterum hoc reo: queri potest contra ipsos; nam plures ipsorum dicunt licere per Bullam Cruciatam Regularibus mortalia non reservata cuilibet Confessario confiteri; ex quò tamen major timeri posset relaxatio, quam si hoc ipsum diceretur de reservatis; nam reservata rarissimè committuntur, & mortalia frequenter. ¶ Quare hanc sententiam esse probabilem negare non possumus. Tum propter gravissima illius fundamenta. Tum etiam: propter tot doctissimos viros illam sequentes, & alios, qui eam probabilem arbitrantur, quorum plures post Constitutionem Clem. VIII. scripsere; alii post Constitutionem Urb. VIII. alij ante illas: imò alii post alias Constitutiones aliorum Pontificum, quæ in re, & secundum substantiam, idem ad dictas Constitutiones Clementis, & Urbani continent. Et ideo post omnes Pontificum Constitutiones *infra ad-*

ducendas, Commissarius Cruciatæ in Regno Lusitanæ, ut testantur Prado, & Trull. *loc. cit.* die 7. Mart. 1630. publico edicto declaravit omnes Religiosos sine Prælati licentia posse Bullam accipere, & ejus facultate uti, ad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à reservatis; ipsisque Prælati Regularibus sub gravissimis censuris, ac pœnis prohibuit, ne subditis talem utum prohiberent, non obstantibus suorum Ordinum constitutionibus. Quod certè facere non posset, nisi cognosceret magnam hujus sententiæ probabilitatem.

Probabilior, & securior est sententia negativa

101. Sed his non obstantibus, tenenda est sententia negativa, quæ asserit Bullam Cruciatæ non suffragari Religiosis quoad illam clausulam eligendi sibi confessarium, qui possit eos absolvere à reservatis, absque Prælatorum licentia, & facultate. Hanc sententiam eligimus propter tot constitutiones Apostolicas concessionem Cruciatæ declarantes non proficere regularibus quoad articulum eligendi Confessarium, qui eos absolva à reservatis. Has edidit Sixt. IV. an. 1473. pro Minoribus, Alex. VI. pro Cisterciensibus, Julius II. an. 1509. & Pius V. an. 1571. pro Prædicatoribus, Greg. XIII. an. 1575. pro Jesuitis, Clemens VIII. an. 1599. pro nobis Discalceatis Carmelitis, & generalitèr pro omnibus quorumcunque Ordinum mendicantium, & non mendicantium. Verba illius sunt: Concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indulgentiarum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confessorum, & absolvendi à reservatis, cum fra-

tribus, & sororibus monialibus Ordinis prædicti (scilicet Carmelitarum Discalceatorum) ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, & cujusvis instituti mendicantium, & non mendicantium, tam Provincia Hispaniæ, quam extra eam ubilibet, locum minime habere, neque censeris: sed nostra intentionis existere, quod iidem fratres, & moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint, Apostolica autoritate tenore præsentium perpetuo declaramus. Et novissimè Urb. VIII. confirmans Bullam Clem. VIII. sui antecessoris 19. Jun. an. 1630. in Bulla, quæ incipit: Innovatio constitutionis felic. recordation. Clem. Papæ VIII. hæc habet: Concessionem S. Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cæna Domini contentis, cum Fratribus, & monialibus Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & instituti prædictorum mendicantium, & non mendicantium, tam Provincia Hispaniæ, quam extra eam ubilibet constitutorum locum minime habuisse, nec habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, &c. & inf. Sed nostra intentionis fuisse, & esse, quod iidem fratres, & moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Confessionis administrationem, ordinaria dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint, tenore præsentium perpetuo declaramus. Atque ita tenent omnes Doctores, quos n. 99. pro contraria declaramus,

dimus. Qui licet illam probabilem dicant, hanc ut probabilioram amplectuntur, Insuper Martinus de Ledesma 2. part. 4. qu. 29. art. 2. concl. 2. Vivalde. de absol. n. 25. Miranda tom. 2. qu. 34. art. 15. Portell. tom. 2. resp. mor. casu 3. 4. & 5. & in dubijs regul. verbo Cruciatæ, num. 1. Elcobar de Mendoza, lib. 7. Problem. problem. 32. num. 359. Lezana tom. 1. cap. 19. num. 29. Antonius à Spiritu sancto in Director. Regular. tract. 2. disp. 2. sect. 1. num. 9. & in Director. Confess. tract. 5. disp. 5. sect. 4. num. 1331. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 16. Garcia de Benefic. 2. part. cap. 5. num. 64. Mendus in Bull. disp. 24. cap. 12. & 13. Fragofo tom. 2. part. 2. lib. 2. disp. 7. n. 16. & 25. Palaus tract. 25. disp. unic. punct. 8. §. 2. num. 2. Lugo de Pœnit. disp. 20. sect. 9. n. 153. Moya tract. 3. disp. 8. q. 8. n. 24. Petrus de Ledesma de Sacram. Pœnit. c. 13. concl. 1. dub. 15. Reginald. in Praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. n. 37. Bordon. som. 2. resol. 34. n. 42. Diana 1. part. tract. 1. 1. resol. 14. & 3. part. tract. 4. 1. resol. 43. & alii.

Solvuntur fundamenta contraria.

102. Undè ad contrarium fundamentum respondetur, admittendo majorem, & negando minorem: ut constat ex Bullis num. precedenti adductis. Et ad probationem primam in contrarium respondetur minime revocari per Bullam Cruciatam, quorannis concessam, tot Constitutiones Apostolicas. Tum: quia in eis dicitur; non esse, nec fuisse unquam mentis nostræ, & Sedis Apostolicæ, &c. Et quæ nomine Sedis Apostolicæ expediuntur, non expirant morte concedentis. Tum etiam: quia rationem talis concessionis reddit Gregorius

XIII. hujusmodi: Cum ratio doceat & experimento compertum sit, religionibus valde perniciosum existere, ut eorum Religiosis licitam sit confessarium sibi eligere, & non est credibile velle de novo Pontifices concedere, quod antecessores valde perniciosum religionibus arbitrabantur. Et sic dicendum erit nunquam esse, nec fuisse suam intentionem, Religiosos, aut Moniales in illa clausula velle comprehendere. ¶ Ad secundam dicimus, de tali supplicatione non constare; & Bulla U b. ni VIII. jam publicata, & recepta, non deberet esse quasi in suspenso ob secretam supplicationem non publicatam: & estd super hanc Bullam supplicatū fuisse, aliæ dabantur diversorum Pontificum Bullæ, quæ non erant per supplicationem suspensæ. ¶ Ad tertium dicimus: quod cum Religiosi non ignorent, propter tot Pontificum decreta, illis prædictam clausulam non suffragari, cum hac limitatione recipiunt Bullam propter alia indulta in ea contenta; & sic nullus infringitur contractus: præterquam quod propter probabilitatem contrariæ sententiæ, cui possunt se conformare, possunt dictam Bullam absolutè recipere, ut etiam hoc indulto fruantur.

103. Veniamus ad aliam difficultatem, an nimirum Religiosi, & Moniales possint sibi eligere confessorem virtute Bullæ Cruciatæ, quem voluerint, etiam externum (approbatum tamen ab Ordinario) etiam sine licentiâ suorum Prælatorum, qui eos absolvat à peccatis mortalibus non

Suffragari Bullam Cruciatam Religiosis ad eligendum confessari-

H h h 3

rium, qui  
eos à nō  
reserva-  
tis absol-  
vat, ali-  
qui di-  
cunt.

reservatis? Affirmat satis probabili-  
ter prima sententia, adhuc suppositā  
Constitutione Clementis VIII. &  
Urbani VIII. Et probat primò ex  
ipsa Bulla Urbani VIII. in qua de-  
clarat non prodesse Regulatibus Bul-  
lam. *Quantum ad articulum eligendi  
confessarium, & absolvendi à prædictis  
casibus reservatis.* Et postea nostra in-  
tentionis fuisse, & esse, quod quantum  
ad Sacramentum Pœnitentiæ, & con-  
fessionis administrationem, ordinaria  
dispositioni suorum Prælatorum, & Se-  
di Apostolica quoad sibi reservata sub-  
jecti sint. Cùm ergò solùm excipiat  
facultatem eligendi sibi confessarium  
quoad reservata; videtur quoad non  
reservata concedere illam: sicuti  
quia Bulla excipit solùm quoad la-  
ticinia in Quadragesima Regula-  
res; quoad alias illas gratias in om-  
nium sententia non manent exclusi:  
quia semper est verum, quòd exce-  
ptio firmat regulam in contrarium.  
¶ Secundò: quia ex præmio legis  
mens legislatoris colligitur, ut est  
vulgare principium apud omnes:  
quia ex legis, aut statuti præmio,  
animus legislatoris, & totius decreti  
intentio, extensio, aut limitatio col-  
ligitur: sed ex Bulla Clementis VIII.  
quam innovat Urbanus VIII. fit si-  
mul mentio. *De electione confessarij,  
& absolute à reservatis,* ubi dictio  
&, vim obtinet copulativæ; & in  
præmio constitutionis Urbani  
VIII. solùm est sermo de electione  
Confessarii in ordine ad reservatas;  
nam in eo dicit: *Non sine animi sui  
molestia cognovisse aliquos virtute Bul-  
la prætendisse eligere sibi Confessarium,*

*qui eos à reservatis absolvet.* Solùm  
ergò pro reservatis dantur prædictæ  
constitutiones Pontificiæ, limitantes  
privilegium Bullæ eligendi confessa-  
rium quoad Regulares. Ita sentiunt  
omnes Doctores, quos num. 98. de-  
dimus, & expressè Mendo c. 18. per  
totum. Cruz lib. 1. c. 6. dub. 12. Lean-  
der tom. 1. tract. 15. disp. 12. quest. 62.  
Tullench. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1.  
dub. 9. num. 25. Quintanad. en. s. sin-  
gul. 18. Rod. ignez in sum. tom. 3.  
cap. 7. num. 2. sine. Thomas Hurtado  
tract. 9. c. 6. quod suo iudicio, dicit: est  
res manifesta. Barnabas Gallego val-  
dè probabilem, & securam in praxi  
vocat, cap. 12. dub. 172. Idemque af-  
serit Diana part. 1. tract. 11. resol. 14  
& part. 9. tract. 6. resol. 10. & part.  
11. tract. 6. resol. 38.

104. Sed negativam sententiam  
probabiliorem judicamus. Quæ pro-  
batur primò: ex declaratione S. Con-  
gregationis tempore Gregorii XIII.  
ad petitionem Archiepiscopi Valen-  
tini D. Joannes de Ribera, quam re-  
ferunt Suarez, Portel, Prado, Leza-  
na, locis citandis, ubi dicitur: *Con-  
gregatio Concilij censuit quatenus gra-  
tia ex Bulla Cruciatæ pertinet ad Mo-  
niales non posse vigore facultatis in ea-  
dem Bulla concessæ, alios confessarios  
præter eos, qui ad audiendas confes-  
siones ipsarum Monialium ab Ordinario  
approbati fuerint, eligere.* Et loqui-  
tur de Monialibus subjectis Ordina-  
rio: sed idem est de aliis Monialibus,  
& de aliis Religiosis, quia si illis pri-  
vilegium Bullæ non suffragatur, non  
est cur istis opituletur. ¶ Secundò,  
quia Clemens VIII. & Urbanus VIII.

Proba-  
bilior est  
sententia  
negativa.

So  
pr  
pu  
da  
cē  
fer

in suis constitutionibus expressè dicunt: *sua mentis fuisse, quod Fratres & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem suorum Prælatorum dispositioni subjecti sint.* Tertio: ex ratione, quàm duo dicti Pontifices in supradictis Bullis adducunt: *Sanè cum ratio doceat, & experientia compertum sit, religionibus perniciosum existere, ut earum Religiosis licitum sit confessarium sibi eligere.* Et sic totam illam facultatem ex se perniciosam eligendi confessarium voluerunt auferre. Hæc autem pernicies in eo primò consistit, quòd facilitas veniæ incitativum præbet delinquendi, ut ex D. Ambrosio dicitur, *in cap. Est iusta 23. q. 4.* & ob id Ecclesia in gravioribus criminibus consuevit plura reservare, ut difficultas obtinendæ absolutio- nis, ab illis retrahat, & evertat. Secundò: quia non inodica esset monasteriorum perturbatio, si Religiosi possent Clericis confiteri, & Moniales inquitarentur, & prætextu confessionum Regulares, & seculares passim ad se vocarent, quod Prælati non possent impedire: quia id, quod à Superiori, nempe Papa conceditur, nec debent, nec possunt impedire inferiores Prælati.

Solvitur præcipuū fundamentū cōtrariæ sententiæ.

105. Demique probatur hæc sententia ex præcipui contrarii fundamenti solutione, quæ ex verbis Eminentissimi Cardinalis de Lugo placuit adhibere, qui *num. 199.* ita inquit: *Respondeo alium divertim esse sententiam illorum verborum: quoad sibi reservata.* Non enim referuntur ad Prælatos, sed ad Sedem Apostoli-

cam, cui immediatè apponuntur: ita ut sensus sit, Religiosos subjici debere dispositioni suorum Prælatorum, atque etiam Sedis Apostolicæ quoad reservata eidem Sedi Apostolicæ. Voluit autem Pontifex addere illa verba: *quoad sibi reservata*, non ut limitaret decretum Clementis; sed ne daretur causa errandi: addidit etiam illa verba: *& Sedi Apostolicæ*, quæ non erant in decreto Clementis; ne fortassè dùm dicebatur absolute, Religiosos pendere omninò à suis Prælati, ut sicut sine illorum licentia à nullo peccato mortali possunt absolvi; ita de eorum licentia possent ab omnibus peccatis absolvi. Quod cum jure communi falsum sit, propter peccata aliqua Summo Pontifici reservata, à quibus sine speciali licentia Pontificis non possunt à Prælati absolvi; ideo addita sunt ad tollendam hanc errandi occasionem illa verba: *& Sedi Apostolicæ quoad reservata.* Quoad reliqua enim dependent à sola Prælatorum dispositione, &c.] Ideò hanc sententiam tenet ipse, *disp. 20. sect. 9. num. 125.* Lezana *cap. 19. n. 129.* Prado *cap. 6. quest. 6. §. 2. n. 5.* Suarez *suprà, cap. 16. à n. 3.* Beja *3. p. respons. moral. casu 16.* Pot. *tel. tom. 2. respons. moral. casu 5. nu. 13. & 17.* Bardi *1. p. tract. 2. cap. 5. sect. 2. §. 4.* Moya *tract. 3. disp. 8. num. 10.* Antonius à Spiritu sancto *utroque loco supra cit.* Bordon. *resolut. num. 42.* Barbos. *ad cap. 7. Concil. sess. 13. n. 25. & alii.*

106. Sed nota: quòd si adfit licentia expressa, tacita, vel præsumpta Prælati utendi Bullâ quoad electio- nem



possunt  
Religio-  
si, Bullâ  
Cruciata  
uti ad e-  
ligendû  
sibi con-  
fessariû.

nem Confessarii, etiam pro reserva-  
tis, poterit Regularis confessarium  
extraneum eligere, qui eum absolvat  
secundum amplitudinem concessio-  
nis; quia Pontifex non aufert à Præ-  
latis regularibus potestatem, ut suis  
subditis licentiam concedant utendi  
Bullâ, etiam ut absolvan:ur à reserva-  
tis. Sic enim verificatur quod inten-  
ditur ab Urbano VIII. quod subsint  
dispositioni Prælatorum, & quod  
Clemens VIII. præcepit Prælati, ut  
*in usu hujus potestatis se cum suis sub-  
ditis benignos, & faciles exhibeant.*  
Sufficit ergo tacita eorum licentia, ut  
si vel ipsi liberè, & absolutè Bullam  
concedant, vel videntes eâ uti subdi-  
tos taceant; quia qui tacet potens im-  
pedire, & non prohibet, sanè con-  
sentire videtur. Thomas Hurtado  
*tract. 9. cap. 4. n. 60.* Henriquez *lib.*  
*7. cap. 22. nu. 4.* Rodriguez *in Bull.*  
*§. 9. num. 25. conclus. 3.* Hurtado de  
Mendoza *de Fide, tom. 1. disp. 84. sect.*  
*6. §. 104.* Leander *tract. 5. disp. 129.*  
Candid. *tom. 2. disquisit. 24. art. 62.*  
*dub. 4. conclus. 8. sine.* Bardi *1. p. tract.*  
*2. cap. 5. sect. 2. §. 5.* & dicit esse pro-  
babile Ludovicus à Cruce *disp. 1. cap.*  
*1. dub. 13. n. 1.* & satis probabile, &  
pium Trullench. *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub.*  
*9. n. 28.* ¶ Hinc fit in mea Religio-  
ne, in qua adeo benignè Prælati circa  
libertatem conscientiarum subditorum  
se gerunt, ut nullis nexibus præpediti  
citius à casu si fortè contingat, resur-  
gant, nullum peccatum reservant; &  
aliàs Bulla quotannis ab ipsis sub-  
ditis conceditur, sine ulla restrictio-  
ne, aut limitatione: nec unquam au-  
divimus illos velle quoad articulum

istum eam coarctare, nec si scirent  
illa subditos uti (quod rarissime con-  
tinget, quandoquidem copiam ma-  
ximam confessario:um pro Religio-  
sis deputatorum in singulis Conven-  
tibus habent) illos ob hanc rationem  
punirent (quod nos cum essemus in  
officio Provincialis, nunquam feci-  
mus) sed potius illos remittere, ut  
Bullâ liberè utantur, posse Religiosos  
virtute illius cuilibet Sacerdoti ap-  
probato sæculari, vel Religioso con-  
fiteri arbitramur, qui eos à non reserva-  
tis, & à reservatis Sedi Apostolicæ,  
sicut & alios sæculares absolvere pos-  
sunt, absolvant. Et hæc videtur mens  
Prælatorum tam amplè, & liberè  
Bullam concedentium.

### §. VIII.

*De Privilegijs confessorum regularium  
in ordine ad absolvendum pro-  
rios Religiosos à casibus  
reservatis.*

107. **D**iximus jam supra Reli-  
giosos non approbato: à  
suis Prælatis pro confessionibus Fra-  
trum audiendis (ab illis nempe Præ-  
latis, ad quos secundum vel statuta,  
vel consuetudinem Religionis expe-  
ctat confessarios exponere, & appro-  
bare, qui apud nos solùm est P. N.  
Generalis, & Provincialis) etiam si  
approbati sint ab Episcopo, non pos-  
se nec licitè, nec validè aliorum Fra-  
trum confessiones audire. Aliquan-  
do autem in privilegijs pro absolu-  
tione à talibus, vel talibus casibus, re-  
qui-  
Confes-  
sariû esse  
deputatû  
à Præla-  
tis nil al-  
lud est,  
quàm ab  
eis esse  
appro-  
batû, &  
expositû.

quiritur confessarium deputatum esse à Provinciali, v. g. Cæterum non aliud intelligitur per hanc deputationem tam ad confessiones ordinarias, quam extraordinarias, quam quòd confessarius sit à Prælato expositus pro Religiosis confitendis, nisi alia detur in Religione consuetudo, prohibitio, aut constitutio, quæ apud nos nulla datur. Et sic ex vi privilegiorum deputationem requirentium, possunt Religiosi nostri ordinarii, vel extraordinarii pro Fratibus, aut Sororibus à Provinciali designati, absolvere illos, vel illas ab omnibus casibus in hujusmodi privilegiis concessis. Nam privilegia ista aliquid operari debent: sed si ultra deputationem generalem pro Religiosis, pro illis casibus specificè requireretur deputatio, nihil operarentur; siquidem confessarii tunc non ex privilegiis ipsis concessis, sed ex deputatione, seu commissione Prælati id efficerent, ergò, &c. Palaus tom. 4. tract. 23. disput. unic. punct. 15. §. 4. n. 10. Rodriguez qq. regul. tom. 1. q. 62. art. 11. Cruz lib. 1. cap. 6. dub. 12. §. De dictis. Antonius à Spiritu sancto in Director. regul. tract. 1. disp. 2. num. 49. & in Direct. Confess. tom. 1. tract. 5. disp. 16. sect. 7. n. 1355. Urbanus ab Ascensione folio 298.

¶ Undè in hac parte maxime attendendum est ad regulas, constitutiones, ordinationes, consuetudines singularum Religionum. An nimitum usus privilegiorum, quem infra adducemus, ipsis impediatur, vel limitetur? Prælati namque subditis usum privilegiorum valent impedire: nam

licet sint concessionem Pontificiam, quæ non videbantur infringi posse ab inferioribus, cum sint primò, & per se Religioni concessa, ea restringere quoad usum possunt Prælati, prout ipsis expediens videbitur: quod Bullæis privilegiis multoies ipsis concessum est. Ita concessit Julius II. Bullâ 16. & Pius V. Bullâ 13. Predicatoribus, Leo X. Bullâ 24. pro Minoribus, Sixtus IV. in Mar. magn. Carmelit. Clemens VIII. & Urbanus VIII. privilegiis supra num. 101. relatis. Unusquisque ad statuta, & ordinationes suorum Prælatorum attendat, quia modum in suo Ordine præscriptum omninò servare debet, & secundum illum, & non aliter potest privilegiis uti. Lezana tom. 1. cap. 18. n. 26. & 27. & cap. 19. num. 12. 29. & 41. Suarez tom. 4. tract. 10. de relig. lib. 9. cap. 2. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. cap. 2. nu. 85. Joannes à Cruce supra dub. 13. conclus. 2.

108. Cæterum hoc ipso, quòd Religiosi virtute privilegiorum possint absolvere à reservatis Papæ, multò magis possunt à reservatis à suis Prælatis, nisi aliàs de hoc daretur prohibitio Prælatorum in contrariū, quæ ferè semper datur, ubi reservati inveniuntur; siquidem ad minus in ipsa reservatione, & aliis prudentibus statutis, hæc facultas ab inferiori adimitur, & superiori reservatur. In mea autem Religione nullus à Prælatis casus reservatus datur, nullaque ex legibus prohibitio, aut consuetudo, quæ restringat facultatem confessorum, ut omnibus in jure, aut

Qui possunt à reservatis Pontifici absolvere, possunt etiam à reservatis Prælatis.

privilegijs concessis facultatibus utantur. *Deus nobis hac otia fecit.* Idem omnibus privilegijs infra adducendis uti liberè possunt, & etiam Confessarii aliorum Ordinum, in quibus hoc nec ex legibus, Prælatorum ordinationibus, aut consuetudine non limitatur. Et cum hac limitatione semper intelligenda sunt omnia, quæ infra dicemus. ¶ Et ne multiplicatione terminorum materia hæc fusiùs, quàm par est, extendatur: Supponendum est ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, à quibus dicemus posse confessarios religiosos, alios sui Ordinis Religiosos absolvere, posse etiam Novitios, & mox ingressuros Religionem, Donatos, & famulos, commensales, qui omnes nomine Religiosorum quoad favorabilia veniunt, & Religionis privilegijs omnibus, quoad hoc fungi valent.

Ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi, possunt regulares confessarii suos Religiosos absolvere.

109. In primis possunt Confessarii regulares ab omnibus casibus à jure, vel ab homine Episcopis reservatis suos Religiosos absolvere: & sic ab omnibus illis, quos jure ordinario possunt Episcopi, sive à jure sint ipsis commissi, sive ab eis in specie reservati: & hoc toties, quoties, ex privilegio Bullæ Sixti IV. quod refert Peyrin. *tom. 1. privileg. ad cor. tit. 2. Sixti IV. §. 4.* Qualiter de reservatis ab Episcopis hoc intelligendum sit, diximus supra. Ex quo fit, quod, cum omnes casus Bullæ Cœnæ, si sint occulti, excep à hæresi, sint Episcopales, à jure Concilii Tridentini ipsi concessi, ab his omnibus virtute hujus privilegii toties quoties absolvere valent, ut in simili diximus

*tom. 1. tract. 10. de censuris cap. 2. n. 8.* ¶ Possunt etiam toties, quoties ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, etiam publicis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, suos Religiosos absolvere, exceptis his, quæ in Bulla Cœnæ continentur ex privilegio Pauli III. pro Jesuitis, quod refert Lezana *tom. 3. verb. Confessor. num. 11.* & ex alio Sixti IV. pro Monialibus S. Claræ, quod affert Rodriguez *in Bullar. fol. 239. num. 44.* quibus confessarii nostri perfruuntur ob Bullam Clementis VIII. nobis concessam, quæ habetur *in Compendio Ordinis. fol. 124. num. 2.* Quæ omnia privilegia, indulta, facultates cæteris Ordinibus, Congregationibus &c. concessa, nobis ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis impendit: & etiam omnes, qui communicationis habent privilegium, hoc uti valent; nisi, ut diximus, speciale habeant statutum in contrarium, quod apud nos minimè datur, Lezana *suprà* Quintanadueñas *tract. 3. singul. 19. num. 3.* Portel. *in dubio regul. verbo confessor. erga Fratres. num. 7.* Martinus à S. Joseph *fol. 588. nu. 8.* Antonius à Spiritu sancto *utroque loco cit. in Director. regul. nu. 31. in Director. Confess. n. 1347.*

110. Deinde deputati à Generali, vel Provinciali pro confessionibus Religiosorum, possunt toties, quoties illos absolvere, ab omnibus casibus Pontifici reservatis, etiam publicis, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, Apostolicarum literarum falsariis, & ad infideles prohibita deferentes. Ita concessit Sixtus IV. *in*

Mari

*Mari magn. Carmelitar. §. 26.* confirmans aliā Bullam Eugenii IV. quam postea ipse Sixtus IV. extendit ad Moniales. Videatur *Lezana tom. 5. ad Mare magn. Carmelitar. §. 62. n. 369.* Unde ex vi hujus indulti possunt ab aliis casibus Bullæ Cœnæ absolvere, his exceptis: quia exceptio firmat regulam in contrarium; quod aliqui immemori negant: quia dicunt quotannis in Bulla Cœnæ revocantur omnia privilegia in contrarium, non advertentes revocationem Bullæ Cœnæ solum tollere privilegia Regularium quoad absolutionem secularium, non Religiosorum, de quibus modo loquimur, ut bene advertit *Peyrin, in additam. ad constit. 4. Sixti IV. nu. 16.* citans *Peregrinum, Naldum, & Molfesum.* Unde refert *N. Antonius à Spiritu sancto in Director. Regul. disp. 2. sect. 1. num. 47.* posse ex vi hujus indulti absolvere ab hæresi, si non sit in eam relapsus; quia Pontifex solum excipit in hæresim relapsi.

Alia circa idem concessiones Pontificie referuntur.

111. Possunt insuper Religiosi semel in vita eligere confessorem, ex approbatis à Prælati, qui eos ab omnibus casibus, nullo excepto, plenarie absolvat. Ita *Sixtus IV.* in Bulla Minoribus concessa, quam refert *Lezana tom. 1. cap. 19. n. 17.* & *Gregorius IX. Bulla 17.* *Leo X.* aliā Bullā Religiosis de Veles concessa, prout refert *Joannes à Cruce lib. 1. cap. 6. dub. 13.* idem concessit *Eugenius IV. Bulla 1.* apud *Rodriguez in Bullar. & Innocentius VIII.* aliā Bullā, quam adducit *Lezana tom. 5. in Mari magn. Servitarum, fol. 996. ad §. 53.* quibus conceditur eligere posse confesso-

rem, qui eos semel in vita absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam ab illis, propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, nullo excepto. Et cum neque excipiant casum aliquem Bullæ Cœnæ, nec relapsum in hæresim, qui erat unus ex quatuor, propter quos Sedes Apostolica consulenda esset; sequitur neque hunc excludere. *Pellizzar. tom. 2. cap. 2. sect. 1. n. 84.* *Bruno Cassaing. tract. 5. cap. 4. propos. 2.* *Cruz loco citato.* *Bauni de Pœnit. tract. 4. quest. 8. dub. 1. littera E.* *Antonius à Spiritu sancto in Director. confessar. num. 1349.* Deinde quater in vita eligere possunt ex confessariis approbatis à suis Prælati, qui eos plenissime absolvat, ut concessit *Paulus III. Bulla 6. adducta à Magist. Joanne à Cruce supra,* & *Leo X.* vivæ vocis oraculo concessit *Monialibus S. Claræ,* ut quater in anno eligerent confessorem ejusdem Ordinis, qui eadem plenitudine eas absolvat, ac facere posset Summus Pontifex, si ibi adesset: quod licet fuerit oraculum, fuit ante *Gregorium XV.* & *Urbanum VIII.* & sic per novas Bullas confirmatum, juxta dicta hoc tractatu, *cap. 2. num. 61.* Sic *Cruz, B. uno loco citat.* *Antonius à Spiritu sancto in Director. Regul. nu. 35. & 36.* & *in Director. Confess. nu. 1350.* *Porrel. nu. 15.* *Rodriguez tom. 1. quest. 62. art. 12.* Possunt etiam Religiosi in omnibus festivitibus *Domini Sabahot, & B. V. & Fundatoris,* qui apud nos est *S. P. N. Elias,* & omnium Sanctorum, eligere Confessarium, qui eos plenissime absolvat. Ita concessit *Leo X. Bulla 46.*

Monialibus S. Clarae, & pro die S. Catharinae, quo loco apud nos est S. M. N. Theresiae. Idem concessit idem Leo X. Bulla 20. apud Rodriguez in Bullar. fol. 306. & Pellizzar. tract. 8. c. 2. n. 48. Ancillis beatae Mariae Virginis, addens praeter dicta, festum S. Petri, & Pauli, & per totam Hebdomadam Sanctam.

Concessio amplissima pro periculo mortis,

112. Denique pro periculo mortis concessit Innocentius VIII. ut possent Religiosi eligere confessorem approbatum à suis Praelatis, qui eos ab omnibus censuris, & casibus, nullo excepto, absolveret cum omnimoda autoritate, ac si ibi Summus Pontifex praesens adesset. Caeterum quia hoc fuit oraculum, accipe aliud Bullatum privilegium ejusdem Innocentii VIII. ejusdem tenoris, quod refert Rodriguez tom. 1. quest. 62. art. 6. & aliud similiter Bullatum Sixti IV. Bulla 45. quod refert Pellizzar. sect. 1. n. 84. qua concedit, ut in articulo mortis eligerent sibi quemcumque confessorem tam regularem, quam saecularem, qui ab omnibus casibus eos absolveret, nullo excepto, & concederet illis S. Jubileum, seu omnes, & singulas indulgentias, quae per omnes Romanos Pontifices praedecessores Sixti IV. concessae fuerunt Christi fidelibus personaliter eum ibus Romam anno Jubilei, & visitantibus Ecclesias ad hoc determinatas. ¶ Caeterum licet haec Indulgentia pro vero mortis articulo reservetur, absolutio tamen ab omnibus reservatis statim effectum for-

titur. Et sic absolutus à reservatis à Pontifice, vel à religione, non tenetur postea recurrere ad Praelatum: in quo differt ille, qui in casu dicto, virtute alicujus privilegii absolvitur, ab eo, qui solum cum Sacerdote simplici ratione necessitatis à reservatis absolvitur: quod hic postea coram Superiori comparere teneretur, & cum hoc onere absolutionem debet accipere; ille minimè: aliàs nihil operaretur privilegium, ut diximus tom. 2. tract. 10. cap. 2. & in praesenti tenent Lezana tom. 1. cap. 19. num. 28. Antonius à Spiritu sancto in Director. regul. n. 51. Fragofo 2. p. lib. 11. disp. 24. §. 15. num. 7. Palauus supra punct. 15. §. 4. nu. 7. ¶ Sed licet in dictis privilegijs aliquando periculum, aliquando articulus mortis ponatur, pro eodem accipitur in praesenti. Undè probabile periculum mortis sufficere ad illis utendum: quia licet voces articulus, & periculum mortis in rigore significationis diversae sint, ex usu tamen Ecclesiastico, in praesenti materia pro eodem usurpatur. Ut constat ex cap. Si quis suadente, 17. quest. 4. Cap. Eos, qui de sententia excommunicationis, in 6. docet Gloss. in cap. Pastoralis, de officio ordinandor. Granados de Penit. tract. 10. disp. 4. sect. 2. n. 10. Suarez disp. 26. sect. 4. n. 43. Aversa quest. 16. de ministr. Sacrament. Penit. Diana 3. par. tract. 4. resolut. 71. & 5. par. tract. 7. resolut. 59. Sanchez lib. 22. in Decalog. c. 13. n. 1. Leander tract. 5. de Penit. disp. 11. 7. 17. & alii apud ipsos.

## §. IX.

De facultate, quam habent confessorij regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum religiosorum.

Quæ vota possunt regulares confessorij relaxare.

113. **H**ucusque de casibus, & censuris reservatis, pro quibus petitur absolutio, loquuti sumus: modo de votis, & irregularitatibus, ac alijs pœnis, pro quibus requiritur dispensatio loquimur. Pro pro supponendum est primo. Quod licet *relaxare* sit verbum commune ad commutationem, & dispensationem; propriè tamen pro dispensatione accipitur: quia per eam in totum, & absolutè vinculum tollitur, quod per *relaxare* significatur. Non sic in commutatione, in qua unum vinculum loco alterius subrogatur; unde in privilegijs semper accipitur *relaxare* pro *dispensare*, ut docent Lezana tom. 3. verbo *juramentum* num. 24. Bordon tom. 2. *resolut.* 14. numero 16. Urbanus ab Ascensione *tract.* 2. part. 2. cap. 4. *regul.* 1. fol. 314. ¶ Supponendum est secundo, regulares confessorios ea omnium aliorum vota, ac juramenta relaxare posse respectu aliorum fratrum (idem est de monialibus) in quibus possunt cum secularibus dispensare, ex privilegio Eugenij IV. quod refert Quintanadvennas *tract.* 3. *singular.* 19. num. 9. Et merito: quia non sunt deterioris conditionis religiosi quam seculares: unde sicut ab omnibus casibus, & censuris, à quibus

possunt regulares confessorij seculares absolvere; possunt etiam suos fratres, ut docent Doctores communiter; ita in omnibus votis dispensare possunt cum istis, in quibus possunt cum illis. In quibus autem votis possint cum secularibus dispensare, vel illa commutare? latè diximus hoc tomo tr. 17 de voto. c. 3. Unde circa hoc non erit amplius immorandum.

114. Loquendo vero de irregularitatibus, asserendum est, posse confessorios religiosos (nisi in religione detur statutum, lex aut consuetudo in contrarium, quæ apud nos non datur) cum illis dispensare toties, quoties in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis dispensare. Ita concessit Sixtus IV. *Bulla* 2. quam refert Peyrin. tom. 1. *privilegior.* §. 8. ad *constitutionem Phyrbi* num. 37. in qua concedit ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Quod concessit Concilium Tridentinum respectu Episcoporum, ut diximus *tract.* 10. de *censuris* cap. 7. num. 62. ubi etiam cap. 8. n. 6. quale homicidium voluntarium dicitur absolutè, & simpliciter declaravimus. Dicta *hoc numer.* tenent Peyrin. *loco citat.* Vega, Henriquez, Rodriguez, quos refert, & sequitur Portel. in *respons. moral.* tom. 1. *casu* 3. numero 1. Bauny. tom. 3. *tract.* 11. *quest.* 58. *littera* F. Quintanadvennas *tract.* 3. *singular.* 19. num. 9. Antonius à Spiritu sancto in *director. regul.* *tract.* 2. *disput.* 2. *sect.* 2. num. 120. ¶ Et ex concessione Eugenij IV. Benedictinis *bulle* 1. &

Possunt regulares confessorij dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi.

eiusdem Eugenij IV. Minoribus, ut refert Rodriguez in Bullar fol. 171, nu. 9. possunt regulares à Prælati deputati cum fratribus dispensare in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quovis modo contractis, sive ex delicto, sive ex defectu, etiam sedi Apostolicæ reservatis, excepta irregularitate bigamiæ, & homicidij voluntarij, & voluntariæ membrorum mutilationis. Joannes à Crucelib. 1. dub. 12. Rodriguez quest. 62. art. 13. Candidus tom. 2. disquisit. 24. art. 61. dub. 6. Quod etiam concessit Sixtus IV. vivæ vocis oraculo.

Alia circa dispensationem irregularitatum amplissima concessiones.

115. Immo, quilibet confessor mendicantium à suo Prælato pro confessionibus fratrum deputatus, semel in vita potest cum eis dispensare in foro conscientie super omnem irregularitatem, quacumque occasione contractam, ex universissima concessione facta ab Eugenio IV. fratribus S. Hieronymi in Hispania, quam refert Rodrig. tom. 1. qu. 63. art. 3. Quæ concessio cum nullam excipiat, exemplo ad omnes se extendit, etiam ad illam, quæ provenit ex bigamia, aut homicidio voluntario. Nam licet hæc non veniant in generali concessione, sed semper exclusæ censentur, utpote strictioris reservationis: hoc verum est, quando privilegium absolute solum concedit facultatem dispensandi in omni irregularitate; tunc enim verificatur in generali concessione non venire ea, quæ si specificè peterentur, non esset Superior verosimiliter concessionis. Secus vero quando in privilegio illa clausula apponitur: *quavis occasione, aut*

*causa contracta.* Quæ verba adeo generalia ampliant dispositionem ad omnia Rodrig. loco cit. Martinus à sancto Joseph fol. 35. n. 4. An omnis à Spiritu sancto n. 93. ¶ Immo idem Eugenius IV. ut testatur Portel in dub. regul. verbo confessor erga fratres, n. 19. Concessit eisdem fratribus S. Hieronymi in Hispania, ut toties quoties possent confessarij religiosorum cum eis dispensare in omni irregularitate tam ex delicto, quam ex defectu, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Et idem Portel. n. 19. refert aliam concessionem Pij IV. qua conceditur regularibus, ut eligere possint confessoriem à suis Prælati deputatum, qui eos absolvere possit à quavis irregularitate, ut possint officia ordinis recipere, & retinere. Sed an hæc duæ ultimæ concessiones fuerint oracula? plures dubitant: sed esto fuerint, quia fuerunt ante Gregorium XV. & Urbanum VIII. transierunt in bullata privilegia, & ideo suum obtinent vigorem, ut cap. 2. num. 61. diximus.

116. Denique possunt regulares Confessores pro fratribus deputati, cum suis fratribus in foro conscientie dispensare in omnibus peenis ex quibuslibet delictis contractis, quales sunt inhabilitatis ad officia, privationis dignitatum, vocis, & loci, &c. Et quidem si sint à jure, vel ab homine reservatis Episcopis ex concessione Sixti IV. qua possunt in omnibus peenis dispensare, in quibus possunt Episcopi jure ordinario; & sic in omnibus provenientibus ex delicto occulto: quia hoc conceditur Episcopis à Tri-

In omnibus peenis Ecclesiasticis possunt regulares confessarij dispensare.

Alia circa dispensationem irregularitatum amplissima concessiones.

à Tridentino *sess. 24. cap. 6.* de reformatione, & ex alia Bulla Sixti IV. relata à Lezana *tom. 5. in Mari mag. Carmelitarum §. 62.* in qua concedit facultatem omnibus regularibus ad absolvendum fratres, ab omnibus pœnis ob quævis delicta, nisi talia sint, pro quibus sedes Apostolica esset consulenda: non tamen dicitur consulenda sedes Apostolica ob quævis delicta, sed ob illa quatuor specialia, de quibus supra diximus; nimirum ob relapsum in hæresim, ob schisma, falsificationem litterarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles. Sic citatis Sorbo, Cruce, Fauto, Portel, Peyrin, Lezana, *tom. 5. in Mari mag. Heremitar. D. August. §. 47. & 44. num. 24.* Bruno *tract. 5. c. 4. propos. 2. & 3.* Anconius à Spiritu *S. n. 127.* Vidcantur à nobis infra §. 11. dicenda, siquidem in omnibus pœnis, & irregularitatibus, in quibus dicemus ibi posse cum sæcularibus dispensare, potiori jure possunt cum religiosis, qui non debent esse deterioris conditionis.

§. X.

*À quibus casibus, & censuris reservatis possunt regulares confessarii sæculares absolvere.*

Aliqua *117.* **P**ostquam egimus de regulis confessionis comparatione ad alios religiosos tam proprios, quam extraneos; restat modo agere de illis comparatione ad sæculares. Sed quia plura, quæ hic fufus

dicenda forent, in alijs locis hujus cursus sunt à nobis declarata, breviter modo per ista transiemus, ad locum, ubi ex professione acta sunt; Lectorem remittentes, ne multoties eadem repetamus, Igitur qualiter possint, vel non in præsentiarum regulares confessarii à casibus specialiter reservatis ab Episcopis sæculares absolvere, late egimus *hoc cap. n. 3.* ubi videri poterunt. Qualiter in votis dispensari possint, vel ea commutare, etiam late egimus hoc volumine. *Tractatu de Voto cap. 3.* ¶ Pro alijs itaque casibus, & censuris sciendum est primò. Quod ut diximus *tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 2. n. 38.* qui habet facultatem absolvendi à casibus reservatis, quibus sunt annexæ censuræ, etiam habet facultatem absolvendi ab illis: quia excommunicatus v. g. prius debet ab excommunicatione liberari, quam à peccato absolvari: ideoque si ab illa confessarius non posset absolvere, nec ab isto posset; & sic ad utrumque accipit facultatem, qui ad unum illam habet. ¶ Secundo sciendum est quod *ut ibidem n. 39.* diximus, per facultatem absolvendi concessam in Jubilæo, Bulla Cruciata, aut alio privilegio, à casibus, aut censuris reservatis Summo Pontifici, etiam possunt absolvere confessarii regulares & alij, qui illis funguntur indultis nominatim denunciatis, sive à jure, vel ab homine talem excommunicationem habeant: quia nihil est in tali cognitione, quod absolutionem harum censurarum excludat, si in privilegio facultas concedatur ad omnia. Neque inde inferas (quod



(quod aliqui gravissimi Doctores faciunt, quos *ibi n. 40.* dedimus) quod qui habet à summo Pontifice facultatem per Jubileum, Bullam, aut privilegium absolventi ab omnibus casibus, & censuris sibi reservatis, possit etiam absolvere à casibus, vel censuris ab Episcopo sibi reservatis, propter prohibitionem Alexandri VII. quam *ibi* retulimus; quæ quomodo intelligenda sit in hac parte, *suprà hoc capite n. 7.* diximus.

Alia alibi dicta recensentur.

118. Tertio sciendum est, quod ut *suprà n. 40.* diximus, quando casus est reservatus, & illi est annexa censura ob quamcumque rationem, censura non incurratur, vel post incursum tollatur casus manet absque reservatione. Unde si quis extra confessionem accipiat absolutionem censuræ, quod fieri posse omnes ferè dicunt, potest à quocumque confessario ab illo peccato reservato absolvi, ut de casu hæresis diximus *tom. 2. tract. 10. cap. 4. n. 62.* De casibus dubiæ reservationis plura diximus *in presenti Cap. n. 9.* Sciendum est quarto quod ab illis casibus, & censuris, à jure, vel ab homine latis, & quæ nulli reservantur, potest quilibet confessarius absolvere, ut dicto *Tract. de censur. cap. 2. n. 44.* probavimus. Imo *ibidem nu. 41.* diximus, quod quando in privilegio conceditur absoluta facultas absolventi à Censuris, etiam de reservatis summo Pontifici, intelligitur (exceptis censuris in Bulla Cænæ contentis) quæ sunt strictioris reservationis, alias nihil concederet, ut *ibidem* probavimus.

119. Qualiter autem in periculo mortis, & in casu urgentis necessitatis possit quilibet confessarius, etiam à reservatis summo Pontifici, quicumque illi sint, absolvere, diximus *ibi numero 45. & 46* & qualiter præsentia postmodum debeant, data opportunitate, qui ob periculum imminens, à reservatis Superiori ab inferiori absolventur, etiam factis illo periculo, *ibi, & num. 66.* latè tractavimus. Et in *num. 64.* posuimus impedimenta, ratione quorum legitime potest recursus ad sedem Apostolicam impediri. Et *num. 68.* omnes moniales, immo omnes mulieres habere perpetuum impedimentum, ut non possint ad sedem Apostolicam recurrere pro absolutione à reservatis Pontifici, probavimus. Quibus si jungas id, quod dicunt Peyrinis *ad constitut. 1. Julij 11. §. 36. num. 67.* Delbene *tom. 2. cap. 19. dub. 59. num. 16.* Pasqualig. Leander à Murcia, Concens, quos refert Diana *9 part. tractat. 6. resolut. 51. & tract. 9. resolut. 61.* Quod quando impedimentum recurringendi ad Superiorem est perpetuum, jam casus ille, qui cum sit jure ordinario reservatus, pertinet ad Episcopum; cum jam tales casus non sint Papales in his, qui tali impedimento perpetuo afficiuntur, poterunt eos ab illis absolvere quicumque confessarius, qui possunt ab omnibus absolvere, quæ possunt Episcopi, seu ab omnibus Pontifici non reservatis.

Alia alibi locis exagitata, tanguntur.

Regula-  
res pos-  
sunt sæ-  
culares  
ab om-  
nibus  
casibus  
extra  
Bullam  
Cœnæ  
conten-  
tis, ab-  
solvere.

120. Quibus sic breviter attatis, quæ alibi fufius jam diximus. In primis modo dicimus: quod regulares confefſarij à Prælatiſ expoſiti, & ab Epifcopo approbati (hujusmodi ſunt dumtaxat, qui nomine confefſarij regularis veniunt reſpectu ſæcularium) poſſunt extra Italiam omnes ſæculares ab omnibus caſibus, & cenſuris abſolvere, quæ ſunt reſervatæ Pontifici, exceptis illis, qui in Bulla Cœnæ continentur. Ita conceſſit Sixtus IV. fratribus Ordinis Prædicatorum in Regnis Caſtellæ, & Legionis, prout refert Rodriguez tom. 1. quaſt. 62. artic. 3. & Leo X. Minoribus apud Confefſarium bulla 9. fol. 144. ibi: à quibuſcumque caſibus etiam Apoſtolice ſedi reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, abſolvere poſſunt. Idem conceſſit Clemens VII. Bulla 2. apud Bordon. tom. 2. reſolut. 6. nu. 36. Ac denique Paulus III. id ipſum conceſſit Patribus Societatis Bulla 7. quam refert Lezana tom. 1. cap. 19. n. 16 ubi concedit facultatem abſolvendi ſæculares: ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravioribus, & enormibus, etiam ſedi Apoſtolice reſervatis, & à quibuſcumque ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, & cenſuris, & pœnis Ecclieſiæſticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi. Quæ omnia non eſſe revocata per decretum Clementis VIII. ſeu Congregationis de mandato illius edito anno 1601. & aliud ejuſdem Sacræ Congregationis, ſub eodem Clemente VIII. & de mandato illius anno 1602. in quibus alij caſus po-

ſtea recensendi præter contentos in Bulla Cœnæ continentur. Quia illa decreta, ut ex eorum verbis conſtat, ſolum loquuntur intra Italiam, & extra urbem: Unde extra Italiam poſſe dictis privilegiis cum omni ſua amplitudine uti, conſtat ex noviffima declaratione Sacræ Congregationis die 17. Novemb. 1628. ab Urbano VIII. approbata ubi dicitur: *ab aliis vero caſibus (ſcilicet præter caſus Bullæ Cœnæ) & cenſuris ſedi Apoſtolice reſervatis, ſiquidem regulares habeant à ſede Apoſtolice abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minime ſublata fuiſſe, eiuſdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis juffu ſanctæ memoriæ Clementis VIII.*

121. Ex quo ſequitur primo, in Hiſpania, Gallia, Germania, & aliis Provincijs extra Italiam poſſe Confefſarios regulares ab illis caſibus exceptis in conſtitutione ſub Clemente VIII. qui in Bulla Cœnæ non continentur. Nimirum à cenſuris ob violationem immunitatis Ecclieſiæſticæ, juxta conſtitutionem Gregorij XIV. Cum alijs, ab excommunicatione incurſa ob violationem clauſuræ monialium ad malum finem; & ab ea, quam incuriunt provocantes, & pugnares in duello in terminis Concilij Tridentini; Simonix realis ſcienter contra cta excommunicatione, atque etiam confidentiæ beneficiæſac denique ab ea, quæ contrahitur ab injicientibus manus violentas in clericos, ſive læſio fuerit levis, ſive enormis; & à quibuſcumque alijs caſibus Papalibus extra Bul-

Aliqua,  
quæ ex  
doctrina  
tradita  
ſequun-  
tur.

K k k

lam

lam Cœnæ contentis: quia in dictis privilegiis, isti solummodo excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Miranda *qu.* 46. *art.* 5. *Lezana tom. 3. verbo Clericus num.* 18. & *verbo confessor. n. 6. Bordon. tomo 2. resolut. 61. num. 1. & resolut. 6. nu. 2. Delbene tom. 2. de jurisdict. Eccles. cap. 19. dub. 59. num. 52. Palaus tom. 4. tr. 23. dis. unic. punct. 14. Urbanus supr. fol. 220. reg. 8. Antonius à Spiritu S. in direct. regul. tract. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 33. & in direct. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 3. num. 1359. ¶ Sequitur secundo; posse absolvere à censuris, & pœnis incutis ob procurationem abortus factus animam; quia iste casus Papalis non est, sed Episcopalis, ob moderationem Gregorij XIV. qui abstulit reservationem, quam Gregorius XIII. illi imposuerat, ut diximus *tomo 2. tract. 13. cap. 2. numer. 67. Sic Diana 5. p. tractat. 9. resolut. 40. Pellizzar. tractat. 8. capite 3. sect. 2. numero 97. Peyrinis ad constitut. 2. Julij II. §. 32. numero 65. ¶ Sequitur tertio; posse absolvere transgressores constitutionis Pij V. quæ incipit: *Decori, & honestati*, contra Moniales egredientes de clausura, nisi in casibus permisis, aut illis licentiam concedentes, audeat comitantes, vel recipientes; quia non est casus in tra Bullam Cœnæ contentus, *Lezana verbo confessorius numer. 6. & verbo clausura numer. 20. Sanchez in summ. lib. 6. capite 15. num. 76.***

Alia,  
quæ ex  
propo-  
sita affer-

122. Sequitur quarto: posse absolvere à criminibus, & censuris, quæ sunt S. Tribunali Inquisitionis refer-

vata, & extra Bullam Cœnæ contenta. ut sunt sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, sollicitatio in confessione, lectio librorum hæreticorum, Sodomia, bestialitas, blasphemia hæreticalis, & omnia alia delicta, quæ in edictis S. Inquisitionis continentur, & quorum punitio pertinet privatim ad hoc Sanctum Tribunal, quod hæc crimina non ex errore contra fidem proficiuntur; sed ex avaritia, concupiscentia, ira, aliave passione, ut pluribus citatis diximus *tomo 2. tract. 10. de Censur. cap. 2. num. 91. ¶ Sequitur quinto. Quod ab omnibus casibus, qui sunt jure ordinario Episcopis reservati, & extra Bullam Cœnæ continentur, possunt regulares absolvere: quia Paulus III. illis concedit facultatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris, etiam Pontifici reservatis. Ubi ly etiam adauget & amplificat concessionem; quasi dicat: ab omnibus cuilibet Præiato, etiam Pontifici reservatis. Præterquam quod, qui potest id, quod majus est, & difficilius; multo magis id, quod minus, & facilius. Ita communiter omnes. Sanchez *lib. 4. cap. 24. Diana de dub. regul. resolut. 23. Martinus à sancto Joseph in Compend. verbo confessor. num. 4. ¶ Sequitur sex o, posse non solum absolvere excommunicatos per sententiam generalem à jure, vel ab homine (si excipias specialiter ab Episcopis ipsis reservatos, propter dicta *num. 3.*) sed nominatim, & specialiter excommunicatos, seu aliis sententiis ligatos; dummodo hoc fiat prius**

prius satisfacta parte, exceptis Bullæ Cœnæ casibus. Portel. in dubiis regul. verbo Confessor regularis, num. 28. Roldiguez tom. 1. q. 6. art. 6. Croz lib. 2. cap. 7. dub. 1. conclus. 1. Avila 2. p. de Censur. cap. 7. disp. 1. dub. 5. Suarez tom. 4. lib. 9. cap. 2. num. 22. Pellizzar. num. 38. Thom. Tambur. in Methodo, cap. 6. §. 4. lib. 3. num. 12. An vero valeat absolutio, partis satisfactione non præmissa, & alia huc pertinentia, vide quæ diximus tom. 2. tract. 10. cap. 2. punct. 2. à n. 23.

Alia ex eodem principio illata proponuntur.

123. Denique sequitur, ab omnibus casibus, & censuris hucusque dictis posse toties quoties absolvere, etiam si casus publici sint; imò si sint deducti ad forum contentiosum: quia dicta privilegia absolute concedunt à prædictis casibus posse absolvere sine ulla limitatione; & sic limitanda à nobis non sunt, cum sint animabus favorabilia: maxime quia sedes Apostolica quando vult excipere casus deductos ad forum contentiosum, id exprimit, ut fecit Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Reformatione. Sed in dictis privilegiis non excipiuntur: in illis ergo continentur. Quando vero delictum ad forum contentiosum deductum iudicetur, latè diximus loco citato cap. 2. à num. 60. Quæ modo diximus tenent Sanchez lib. 6. cap. 17. num. 43. Delbene tom. 2. cap. 19. dub. 82. num. 2. Pellizz. num. 90. & 92. Vega in Summ. cap. 62. casu 1. Deltio disquisit. Magicar. lib. 6. cap. 1. sect. 13. Palaus tract. 25. punct. 48. num. 11. Bruno tract. 5. dub. 2. propos. 3. Avila dub. 12. Thomas Tamb.

§. 4. n. 12. Trullench. lib. 1. in Cruciat. §. 7. cap. 2. dub. 10. num. 1. Unde absolutio à dictis censuris, sive ab homine, sive à iure latis, prodest etiam pro foro externo; sed ut pro illo valeat, debet pœnitens in scriptis afferre illius testimonium à suo confessore, & debet acceptari à Prælato: interim in foro externo se gerere debet ut excommunicatus, ne tribunal externum perturbetur; & semper debet supponi satisfactio partis. Trullench. Palaus, Avila, Tambur. locis cit.

§. XI.

Posintne modo regulares confessarii à casibus & censuris Bullæ Cœnæ occultis, seculares absolvere?

124. **C**Ravior modo restat difficultas de ipsis casibus, & censuris in Bulla Cœnæ Domini contentis. Sed ante resolutionem primo supponendum est, qui casus dicantur in Bulla Cœnæ Domini contenti? Illos adduximus, & explicavimus tom. 2. tract. 10. de censuris, cap. 4. punct. 4. sed quia eorum notitia summo opere necessaria est, non libuit breviter eos recensere. Igitur in primo canone illius Bullæ excommunicantur omnes hæretici, schismatici, & negantes obedientiam sedi Apostolicæ, eorum fautores, receptatores, defensores, illorum libros legentes, imprimentes, retinentes, vendentes, ementes, defendentes, de quibus latè egimus eodem loco dub. 2. & 3.

Casus in Bulla Cœnæ Domini contenti recensentur.

Kkkk 2

¶ In

¶ In aliis canonibus excommunicantur primo: Qui à mandatis, & sententiis Papæ ad futurum Concilium generale appellaverint, cujuscumque sint conditionis, gradus, vel status. ¶ Secundo: Piratæ, Cursarij, & Latrones maritimi, qui per mare Summi Pontificis, animo deprædandi fideles catholicos, curiunt. ¶ Tertio: deprædantes bona naufragantium. ¶ Quarto: qui nova pedagia, seu gabellas in terris suis imponunt in casibus sibi à jure non permissis, & qui imposta augent, vel perunt. ¶ Quinto: Falsarij litterarum Apostolicarum. ¶ Sexto: qui equos, & arma, & eorum materiam ad Sarracenos, Turcas, Mauros, Judæos, Paganos, & hæreticos deferunt, vel illis auxilium præstant in damnum, & perniciem Catholicorum. ¶ Septimo: impediētes, seu invadentes eos, qui vestigalia, seu alia ad usum Romanæ Curie adducunt. ¶ Octavo: omnes, qui ad sedem Apostolicam convenientes, vel ab ea recedentes lædunt. ¶ Nono: Cardinales, Episcopos, Legatos, & Nuntios vulnerantes, percutientes, incarcerantes, vel hostiliter insequentes. ¶ Decimo: omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, deprædantes Romipetas, seu Peregrinos, ad urbem causa devotionis accedentes. ¶ Undecimo: occidentes, percutientes, vulnerantes, & auxilium, vel consilium ad id præbentes, eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt super causis, & negotiis eorum. ¶ Duodecimo: qui prætextu frivola appellacionis recurrunt ad Curias sæculares, ad quas appel-

lant à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, & Magistratus prohibentes dictas litteras executioni mandari. ¶ Decimotertio: qui causas spirituales, vel spiritualibus annexas, à judicibus Ecclesiasticis ad se propria autoritate avocate intendunt. ¶ Decimoquarto: impediētes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione contra quoscumque utantur. ¶ Decimoquinto: libertatem Ecclesiasticam directe, vel indirecte lædentes. ¶ Decimosexto: qui jurisdictiones, vel fructus, redditus, seu proventus Ecclesiasticos usurpant, vel sequestant sine legitima facultate. ¶ Decimosextimo: imponentes decimas, gabellas, vel alia onera directe, vel indirecte personis Ecclesiasticis, & ipsorum bonis, & ea exigentes. ¶ Decimo octavo: judices sæculares, qui se in causis criminalibus interponunt contra personas Ecclesiasticas processando, capiēdo, aut proferendo sententias contra illas. ¶ Decimo nono: qui terras, loca, & jura subditiōe sedis Apostolicæ contenta in toto, vel in parte invadere, destruere, occupare, vel detinere præsumperint.

125. Secundo supponendum est, non posse regulares ab his casibus sæculares absolvere, si publici sint. Et publici dicuntur, non qui probari possunt in foro externo, sed qui in majori parte vicinæ, Collegij, aut Monasterij sint noti; modo in his adsint saltem decem personæ: nam omnia privilegia, quæ solent adduci in contrarium, quotannis per Bullam Cœnæ revocantur.

Quæ

A casibus  
Bullarum  
Cœnæ  
publici  
neque  
um regulares  
confessari  
absolvere

Quæ revocatio eum nihil operetur in ordine ad absolutionem Regularium, secundum aliquorum sententiam, pro casibus occultis; ad minus tenebit pro publicis. Ita ex communi Palau *part. 14. n. 14.* Portell. *verb. Bullæ Cœnæ, num. 3.* Diana 6. *part. tract. 6. n. 54.* Peyrinis *tom. 3. privilegiorum, cap. 3. num. 35.* Bruno *tract. 8. cap. 2. propositi. 3.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. sect. 2. n. 68.* ¶ Tertio supponimus, ab hæresi occulta non posse Confessarios regulares, sæculares absolvere. Quid autem intelligatur per hæresim, & alia huc pertinentia latè diximus *tract. 10. cap. 4. dub. 3. per totum.* Ratio est: nam in privilegiis referendis, vel excipitur expressè hæresis, vel certè intelligitur excepta, nisi pro illa expressè facultas concedatur: quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si ei specialiter peterentur. *Cap. in generali, regul. 82. de regul. juris in 6.* Immo, quàmvis ad omnes casus Bullæ Cœnæ concedatur facultas, si non exprimat hæresis, intelligitur excepta, quia est strictissimæ reservationis, ut *loco citato ex communi sententia diximus, cap. 2. num. 41.*

Ab hæresi non possunt regulares confessarii absolvere.

126. Per quod manet solum illorum fundamentum, qui dicunt posse Regulares ab hæresi absolvere: quia hæresis absolutio jure ordinatio ad Episcopos spectat: sed Regulares possunt in hac parte quidquid Episcopi: ergo, &c. Sic Coulers, quem refert Diana 6. *part. tract. 6. resol. 54.* Bossius, quem refert Diana 5. *part. tract. 12. resol. 35.* Urbanus

ab Ascensione *tract. 2. disput. 1. reg. 8.* Vidal. *de casibus reservatis, Inquisit. 1. num. 99.* Bassæus *verb. hæresis, n. 18.* Ubi dicit hanc opinionem visam, & toleratam esse ut probabilem in Consistorio Sacræ Congregationis die 18 Julii anno 1629. Sed illud fundamentum solum manet ex dictis: quia non sufficit generalis concessio absolvendi ab omnibus casibus Episcopis reservatis, ut ibi intelligatur hæresis, nisi exprimat, sicut exprimitur in concessione ipsa, quæ fit Episcopis à Concilio Tridentino.

127. Sed licet ab hæresi non possint Regulares absolvere; esto possent ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, tamen possunt suppositâ hac sententiâ ab omnibus aliis criminibus primi canonis illius Bullæ, ut sunt apostasia à fide, quæ committunt fautores, & receptatores hæreticorum, eisque credentes, legentes, defendentes, imprimentes, retinentes libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Sedis Apostolicæ. Quia hæc omnia, si absque intellectu errore committantur, hæreses non sunt, ut diximus *tract. 10. cap. 2. n. 9.* Et ideo per Bullam Cruciatam posse ab omnibus illis absolvi, etiamsi publici sint, docent tredecim Authores, quos ibi citavimus: & posse ab omnibus illis, virtute suorum privilegiorum Regulares absolvere, docent Portell. Frutas, Coninchus, quos refert Diana 1. *part. tract. 6. resol. 8.* Trullench. *Decalog. lib. 1. cap. 2. dub. 6. n. 4.* Vidal. *titul. de ca-*

A casib<sup>9</sup> in primo canone Bullæ Cœnæ cōtentis, qui hæreses nō sunt, possunt absolvere.

*fib. reservat. Inquisit. 1. num. 150. Antonius à Spiritu sancto in Director. regular. tract. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 48. & in Director. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 8. n. 1366.*

Ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis possunt confessores regulares sæculares absolvere.

128. Quibus suppositis, Dicendum, posse regulares Confessarios absolvere sæculares ab omnibus casibus, & censuris, quæ in Bullæ Cœnæ Domini continentur, hæresi exceptâ, si occulti sint, id est, non publici, aut notorii; & probatur sic. Quia omnes casus Bullæ Cœnæ jure ordinario competunt Episcopis si occulti sint; & sic jam non sunt casus Papales: sed Regulares possunt per sua privilegia absolvere ab omnibus casibus toties quoties, qui non sunt Papales, seu propter quos debeat consuli Sedes Apostolica, ut jam diximus: ergo à casibus Bullæ Cœnæ occultis possunt toties quoties absolvere. Ob hanc enim rationem diximus tract. 10. de censur. cap. 2. n. 87. virtute Bullæ Cruciatæ posse ab illis toties quoties absolvi: quia casus Pontifici reservati, si sint occulti, jam non sunt reservati Pontifici, cum talis reservatio ablata sit per Tridentinum sess. 14. cap. 6. & reddita Episcopis facultas ordinaria, quæ illi antea competebat. Ideoque hanc sententiam docere tenentur omnes Authores, qui dicunt posse toties quoties absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, qui possunt à reservatis in jure Episcopis. Et isti sunt inter alios Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54 num. 2. Diana 3. p. tract. 2. resol. 13. & in addition. resolut. 17. & 8. part. tract. 7. resolut. 71. Bassæus ver-

bo heresis, num. 18. Thomas Hurtado tom. 1. resolut. moral. tract. 5. cap. 4. resol. 16. num. 127. Marcus Vidal. de casibus reservat. Inquisit. 1. à nu. 121. Mendoin Bull. d. sp. 23. cap. 5. nu. 61. Leander tom. 4. tract. 17. quest. 84. Trullench. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. num. 5. Magister Acarius de Velasco tom. 2. resolut. moral. verbo Absolut. resolut. 5. num. 11. Quare in nostro casu posse Regulares ex vi suorum privilegiorum absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, neque talia privilegia revocari per Bullam dictam Cœnæ; quia revocatio, quæ in illa sit privilegiorum, solum intelligitur de dictis casibus, quando sunt publici, non vero quando occulti, tenent Urbanus ab Ascensione disp. 1. tract. 2. cap. 1. regul. 8. Sanchez num. 27. Trullench. dub. 3. & 6. Palau de censur. tract. 3. punct. 24. §. 23. n. 19. Antonius à Spiritu sancto in Director. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 8. nu. 1363. Peyrin. tom. 1. privilegiorum, constit. 4. Sixti IV. Bauny tom. 1. tract. 4. de Pœnst. qu. 32. & tom. 2. de censur. d. sp. 3. tract. 2. qu. 16. Diana p. 2. tract. 2. resol. 13. versu Nota. & par. 4. tract. 4. resol. 239. Leander qu. 85. Bassæus loc. cit. Hinojosa in Director. decisio. regul. verb. Confirmatio gratia. Leand. à Murcia c. 25. in 7. regul. D. Francisci. Candid. tom. 1. disquisit. 22. art. 49. & alii, quos dedimus tract. 10. de censur. cap. 2. nu. 57. & 75. probantes per Bullam Cœnæ non revocari neque facultatem concessam Episcopis absolvendi ab illis casibus occultis suos diaconos, neque facultatem concessam per

per sua privilegia Prælati absolvendi à dictis casibus suos subditos.

Aliqua  
in oppo-  
situm,  
quæ pos-  
sunt ad-  
duci, ex-  
plicatur.

129. Nec contra hoc vim habet decretum Sac. Congregationis jussu Clementis VIII. editum anno 1601. quo sub gravissimis pœnis prohibet omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus, ne prætextu quorumlibet privilegiorum possint absolvere ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini contentis. Nam hoc decretum, ut vidimus num. 118. solum loquitur de Regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus. ¶ Neque obstat aliud decretum S. Congregationis jussu Urbani VIII. die 17. Novembr. anno 1628. editum; quo decernitur non posse Regulares absolvere sæculares à casibus per Bullam Cœnæ reservatis, cum revocatione omnium privilegiorum: quia hoc decretum nihil contra nostram assertionem continere diximus tract. 10. de censuris, cap. 2. num. 79. & 81. ¶ Nec denique obstat aliud decretum ab Alexandro VII. expeditum die 24. Septembris anno 1665. cujus nos mentionem fecimus dicto tract. 10. de censuris, cap. 2. num. 58. quò videtur hæc sententia reprobata. Nam inter alias propositiones, quas ibi Pontifex ut scandalosas condemnat, una est ista: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est: anno 1629. die 18. Julij in Consistorio S. Congregat. Eminentissim. Cardinal. visa & tolerata est.* Nonnulla dixi-

mus *suprà hoc capite, nu. 7.* circa strictissimam obligationem, quam dictum decretum Alexandri ubique sibi vendicat. Et ideò propositiones 44. ab Eo in tali decreto condemnatas, nullo modo sustineri posse asseruimus, & modò asserimus.

130. Sed in tali decreto nullo modo prohiberi sententiam istam, quam denunc amplectimur, gravissimi Magistri hujus Salmantinae Academiae (inter quos tres sunt Primariæ Cathedrae Moderatores) quos circa hoc consulimus, unanimiter responderunt, opinantes & judicantes prohibitionem, & censuram Alexandri, categoricas illas propositiones: *Bulla Cœnæ solum prohibet absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & aliam: id non derogat facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est; nulla enus afficere, sed illud prædicatum, quo asseritur quòd sententia ista in Consistorio sacra Congregationis visa, & tolerata est.* Non defuerunt enim aliqui Doctores, quos *suprà n. 124.* dedimus, qui dicebant Regulares, & Episcopos ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis, etiam ab hæresi, posse absolvere; & talem opinionem in judicio contradictorio visam fuisse in Consistorio Sacrae Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, & post longam discussionem, ab ea toleratam ut probabilem; quod posterius rejicit, & condemnat ut falsum, & scandalosum Alexander VII. non verò ipsas propositiones, super quas illa falsa impostura cadit. Undè quemadmodum si Pon-

Exponitur de-  
cretum  
Alexandri  
VII.

tifex



tifex hanc propositionem censuraret: *Scientia media à D. Thoma, & D. Augustino agnita & approbata est*: Non ob id aliquis diceret, et vi hujus censure scientiam mediam manere prohibitioni obnoxiam, sed tantum illud prædicatum declarari falsum, quò agnita & approbata diceretur à D. Augustino, & D. Thoma. Ita quoque dicimus in præfati, non posse interiri prædictas categoricas esse prohibitas, & damnatas. Sanè mirum esset Alexandrum VII. per duo decreta quadraginta & quatuor prohibuisse propositiones, omnes manifestè, clarè, absque ulla ambiguitate, aut restrictione, & solum supra positam Hypotheticam: Sententia asserens Bullam Cœnæ, &c. cum tanta reflexione, & quasi per ambages proposuisse, cum tamen eam majori cum expressione debuisset proponere; siquidem per illam gravissimum decretum Tridentini videbatur revocare pro dominis Episcopis adèd favorable, & pro tota Hispania, & omnibus Regnis, in quibus receptum est Tridentinum cum omnibus suis oneribus, & privilegijs adèd gratiosum; & condemnare sententiam usque ad illud tempus approbatam ut probabilissimam à tot tantisque Scriptoribus doctissimis. Per hoc enim manifestè indicavit suam mentem non fuisse propositiones illas, & sententias supra relatas condemnare, sed ne diceretur cum illa amplitudine à S. Congregatione approbatas esse, inhibere. Cæterùm si alia fuit intentio Pontificis, illius dispositioni omninò obtemperantes, quæ

hucusque diximus, libenter retractamus.

131. An porro possint Regulares ab omnibus Bullæ Cœnæ casibus, etiam publicis absolvere, quando datur aliquod impedimentum adeundi Summum Pontificem pro absolutione; ratione aegritudinis, paupertatis, fragilitatis, sexû, &c. ut si fuerit mulier, vel senex, aut vir delicatus, qui labores itineris sustinere non possit, claudus, cæcus, pauper, servus, & aliàs urgeat necessitas, dubium est inter Authores: & quidem aliqui satis probabiliter affirmant. Quia in tali casu potest Episcopus ab his casibus absolvere jure ordinario, ut diximus tractatu 10. de censura, cap. 2. num. 63. et gò etiam Regulares, qui ut diximus, ab his, quæ jure ordinario competunt Episcopis, absolvere valent. Sed hoc fundamentum rejecimus tractatu de voto, cap. 3. num. 1. impugnantes eos, qui dicebant in votis Castitatis, & Religionis posse à Regularibus dispensari pro casu necessitatis, propter rationem dictam, videlicet quia id possent Episcopi; nec tamen à prædicta sententia recedimus, quæ aliundè probari potest, ac debet, scilicet ex Cap. Nuper à nobis, 29. de sententia excommunication. ubi dicitur: *Verùm si difficile sit ex aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut (præstità juxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit) à suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote: ubi per ly proprio sacerdote, quilibet confessarius intelligitur, ut dixi-*

Quid dicendum sit de casu urgentis necessitatis.

diximus in simili casu tractatu 10. de censuris, cap. 2. num. 44. Et sic in præfenti dicendum tenent Peyrinis ad Constitut. 1. Julij 11. §. 36. num. 67. Delbene tom. 2. cap. 19. dub. 9. nu. 16. Bruno tract. 5. cap. 3. quest. 5. Pasqualig. Leander à Murcia, quos referunt Diana part. 9. tract. 9. resol. 61. Et N. Antonius à Spiritu sancto in Director. Confess. tract. 5. disput. 16. sect. 8. num. 1367. ¶ An verò teneatur transacto impedimento, absolutus comparere coram Superiore, & an debeat per epistolam, vel nuntium, si non possit personaliter accedere? & alia huc spectantia vide in nostro dicto tractatu 10. c. 2. à n. 65.

## §. XII.

In quibus irregularitatibus, & pœnis possint Religiosi cum secularibus dispensare?

Omnes 132. **P**RO resolutione hujus gravissimæ difficultatis duo species præmittenda sunt. Primum: quid, & quotuplex sit irregularitas, quæ porro diffinitur, quod est impedimentum Canonicum primò, & per se impediens Ordinum susceptionem, & secundariò, & quasi per accidens illius exercitium. Quam diffinitionem latè explicuimus tractatu 10. de censuris, cap. 7. à n. 1. Et an sit, vel non vera censura eodem tract. cap. 1. puncto 17. per totum resolvimus. Dividitur autem irregularitas in eam, quæ contrahitur ex delicto; & in eam, quæ ex defectu non culpabili contra-

hitur: & utriusque dantur octo species. Et illius, quæ ob peccatum incurritur, species istæ assignantur. Prima: ex homicidio voluntario. Secunda: ex injusta, & voluntaria mutilatione. Tertia: ex homicidio, aut mutilatione casuali. Quarta: ex repetitione, seu iteratione Baptismi. Quinta: ex violatione Censurarum, per exercitium Ordinis sacri. Sexta: ex indigna receptione, vel administratione Ordinum. Septima: ex delicto, cui annexa est infamia. Octava: ex delicto enormi notorio, dignoque depositione, aut degradatione. De quibus dicto tract. de censuris, toto cap. 8. egimus. ¶ Species deindè illarum irregularitatum, quæ ex defectu non culpabili contrahuntur, istæ sunt. Prima: quæ provenit ex defectu Sacramenti, & dicitur bigamia, & incurritur ob unicum matrimonium contractum cum corrupta, vel ob diversâ matrimonia cum diversis virginibus celebrata. Secunda: ex defectu lenitatis, cui fiunt obnoxii iudices, & alii ministri ad sententiam sanguinis, & ejus executionem concurrentes, & milites in bello, etiam justo occidentes, vel mutilantes. Tertia: ex aliquo defectu corporis, qui deformitatem præ se ferat. Quarta: ex defectu animæ, nimirum, ex defectu scientiæ, vel usûs rationis. Quinta: ex defectu libertatis, quâ innodantur servi seu mancipia. Sexta: ex defectu natalium, quam omnes illegitimi, sive spurii sint, sive naturales, contrahunt. Septima: ex defectu ætatis, quâ nimirum præpeditus tenetur, qui ætatem

debitam pro Ordinibus non habet. Octava: ex defectu divitiarum, seu ratione paupertatis, quando hæc tanta est, ut quis non habeat ad cuius titulum ordinetur. De his duabus ultimis hæc egimus *tom. 2. tract. 8. de Ordin. c. 5. à n. 29. & c. 6. à n. 61.* de omnibus verò aliis *tract. 10. de censurâ, cap. 9. per totum.*

**Qualiter** 133. Cæterum quia præcipua difficultas in præsen- ti est, an Regulares Confessarii possint cum secularibus dispensare in omnibus irregularitatibus; in quibus possunt Episcopi præmittendum est secundo, in quibus irregularitatibus possint Episcopi cum suis subditis dispensare. Pro quo recurrentum nobis est ad locum citatum de censuris, in quo ex professo de hoc egimus, & ibidem dicta in compendium contrahenda. Igitur loquendo de his, quæ ex defectu inculpabili proveniunt, aliqui, quos lato calamo dedimus *cap. 9. n. 23.* asserunt, Episcopum in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente, posse dispensare. Sed oppositum esse tenendum diximus. Irregularitas ex defectu Sacramenti, seu bigamia, *in bigamiam veram, interpretativam, & similitudinariam dividitur.* Vera est, quando aliquis duas nuptias verè contraxit, & consummavit. Interpretativa, quando semel corruptam, vel viduam duxit uxorem, vel licèt cum virgine contraxerit nuptias, hanc post adulterium ab ea patratum cognovit; vel quando duo matrimonia inivit, unum de jure, id est validum; aliud de facto, id est, invalidum; vel utrumque de facto, id est,

non validum celebravit. Similitudinaria est, quando Religiosus profectus, vel alius Clericus secularis tentat contrahere matrimonium, vel defacto contrahit, licèt in validè. Possunt porò Episcopi absolute in similitudinaria bigamia dispensare, ut ibidem *num. 41.* probavimus. In aliis verò duabus, quæ absolute nomine bigamiæ veniunt, dispensare non possunt, nisi ad recipiendum Minores Ordines, & ad acquirendum beneficia simplicia, ut ibidem diximus *num. 40.* Cum illegitimis quoque, si publicus sit eorum defectus, dispensare non potest Episcopus, nisi ad recipiendos Ordines Minores, & beneficia simplicia habenda, ut ibidem *num. 51.* est dictum. Sed si defectus sit occultus, aliqui probabiliter dicunt, posse cum eis Episcopum dispensare ad sacros Ordines recipiendos, & beneficia curata acquirenda, atque ad dignitates adipiscendas; pro qua opinione Authores dedimus *numero 52.* Sed oppositum ibi *num. 53.* esse probabilius diximus. Si verò illegitimus fieret Sacerdos, an posset Episcopus dispensare, ut in tali Ordine ministraret, dubium est. Aliqui dicunt posse, etiam si malâ fide Ordinem susceperit. Alii duntaxat id concedunt, quando bonâ fide talem Ordinem receperit. Sed utrumque nos *num. 54.* negavimus. Et hæc sunt irregularitates ex defectu, in quibus potest Episcopus dispensare.

134. Circa irregularitates verò ex delicto, Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 24. c. 6. de reformat.* Episcopis diocesium habentibus indul-

In omnibus irregularitatibus

excepta illa ex homicidio voluntario, potest Episcopus dispensare.

dulsi, ut cum suis subditis dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, & quæ ad forum contentiosum non sunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario causata. Cum ergò in hoc privilegio solum homicidium voluntarium excipiat, poterit in irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria dispensare, ut *loco cit. c. 8. num. 28.* diximus; potest deinde etiam in illa, quæ provenit ex homicidio casuali licet culpabili, eò quòd tale homicidium non est perfectè voluntarium, nec ejus nomine venit *ibi num. 43.* imò etiam in illa, quæ contracta fuit ob homicidium culpabile, eò quòd quantumvis commissum fuerit pro defensione sui, ab injusto invasore, commissum tamen non fuerit cum moderamine inculpatae tutelæ, *ibi num. 58.* & in omnibus alijs, solo excepto homicidio voluntario, in quo nunquam potest Episcopus dispensare, nec ad Ordines Minores, nec ad beneficia simplicia, ut *ibi num. 16.* statuimus. Cæterum non dicitur homicida voluntarius, prout requiritur ad incurrendam hanc irregularitatem strictissimæ reservationis, qui subito, inopinatè in rixa repentina hominem occidit, ut *ibidem num. 6.* innuimus; nec is, qui leviter vulnerare volens, graviter præter intentionem vulneravit, ut *ibidem* insinuavimus *numero 3.* Sed homicida voluntarius ille dicitur, qui ex industria, ex proposito, per insidias, ex deliberato consilio, animo, & spontanea voluntate occidendi, ho-

minem necavit, ut latè *ibidem num. 6.* probavimus.

135. Si porrò quis peccat An Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, sed occulto, dispensare possit. Respondetur duobus modis homicidium voluntarium posse dici occultum: vel ita, quòd à nemine possit in notitiam hominū deduci, nisi ab ipso solo occisore; vel ita, quòd possit per alium, vel alios ad notitiam hominum venire. In irregularitate orta ex eo, quod hoc secundo modo occultum dicitur, nulli dubium est, haud posse Episcopum dispensare: quia Concilium ab irregularitatibus occultis excipit eam, quæ oritur ex homicidio voluntario. Si verò primo modo contingerit esse occultum, plures dicunt, vel non contrahi irregularitatem, ut illi, quos dedimus *tractatu 10. cap. 7. num. 5.* qui asserunt ex delictis occultis non contrahi irregularitatem: quam sententiam, loquendo de homicidio quoad irregularitatem non contrahi illam in illo casu, tenet *Miranda de Ministr. General. jurisdic. q. 8. art. 10.* & valdè probabilem dicunt *Bruno tract. 5. cap. 4. propos. 1. circa finem.* *Castro, Covar.* quos refert, & ut probabilem eorum sententiam sequitur *Rodriguez tom. 1. q. 24. art. 11.* & etiam idem probabile reputat *Pellizzar. apud Dianam 10. part. tract. 13. resolut. 38.* Vel posse, inquirunt, Episcopum in ea dispensare, quia dicunt Concilium non loqui de delictis omnino occultis, sed tantum de illis, quæ licet occulta credantur, tamen ad iudicium,

& notitiam hominum deduci possunt, & possunt probari. Sic Miranda, Rodrig. & Bruno *locus citatu*, citans Covar. Abbatem, Castrensem, Angelum, Bannez 2. 2. *qu. 40. art. 2. dub. 4.* Tejada *tom. 2. lib. 3. tract. 3. & 18.* ¶ Sed oppositum est omnino tenendum. Tum: quia pro actibus externis etiam penitus occultis incurri censuras diximus *tract. 10. c. 1. n. 141.* Tum etiam: quia delictum licet per accidens sit occultum, quia non habet unde probetur, per se tamen manifestum est, & sensibile, & ideo per illud incurri irregularitatem probavimus *ibi c. 7. n. 22.* Tum denique: quia communis sententia est in oppositum, ut testantur Diana *6. part. tract. 6. resol. 31.* & Antonius à Spiritu sancto *in Direct. Regul. tract. 2. disp. 3. sect. 2. n. 70.*

Alia ad idem intentum referuntur & approbantur.

136. Sed posse Episcopum cum huiusmodi homicida utroque modo occulto dispensare, ut in Ordinibus sacris iam susceptis ministris: iusta interveniente causa, etiam si non detur casus urgentis necessitatis, nec difficultis recursus ad Pontificem, docent Henriquez *de excommunication. l. 14 c. 19. n. 1.* Antonius à Spiritu sancto *num. 71.* & probabile reputat Lessius *lib. 3. c. 4. dub. 2. n. 35.* & pro casu urgentis necessitatis, & non facilis recursus ad Papam, idem asserit Diana *9. part. tract. 7. resol. 22.* & *tract. 8. resol. 52.* cum Avila, & Cornejo. Imò in casu dicto urgentis necessitatis posse Episcopum dispensare cum homicida occulto, & voluntario, ut ad Ordines sacros promoveatur; ut si vii gravis paratus jam quoad om-

nia ad sacrum Ordinem suscipiendum, pridie illius quo Ordines conferendi essent, perpetraret homicidium, cujus auctor ipse cum periculo, vel discrimine vitæ crederetur, si non ordinaretur, & è contra periculum omne evaderet Ordines suscipiendo, docet Fragosol. *tom. 2. lib. 8. disp. 18. §. 9. n. 20.* & cum eo N. Antonius à Spiritu sancto *disp. 3. nu. 73.* qui etiam probabile reputat cum Pellizzar. quem refert Diana *10. part. resol. 38. tract. 13.* posse Episcopum dispensare absolute cum mandante, & consulente homicidium voluntarium: quia proprie non dicitur homicida voluntarius, nisi ille, qui occidit. Sed oppositum habetur ex *Cap. Si quis viduam, distinct. 50. Cap. ult. de homicid. in 6. Cap. Sicut dignum, de homicidio.* Videantur quæ diximus *tract. 10. de censuris. c. 8. n. 7.*

137. Quibus suppositis, asserendum est, posse Regulares confessarios cum secularibus dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus, in quibus hucusque diximus posse Episcopos cum suis subditis dispensare, Sic tenet Leander à Murcia *in capite 7. regular. c. 98. num. 62.* citans Sanchez, Trullench. & Dian. Urbanus ab Ascensione *tract. 2. distinct. 1. cap. 1. regul. 13.* Bauny *tom. 2. tract. 11. quest. 58. dub. 4.* Belasius *verb. Irregularitas, num. 12.* Portell. *1. part. respons. moral. casu 3.* Lezana *tom. 4. verb. Confessor, num. 10.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 9.* Vega *in summo verbo absolut. casu 44.* Rodriguez *in Bullam, §. 9. nu. 13.* Bruno *tract. 5. cap.*

Possunt Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi

capite quarto, proposit. 1. Antonius à Spiritu sancto tractatu secundo, disputatione tertia, sect. .... num. 65. Solum verbo absolutio, quoad fratres, & seculares, in resolutione conclusionis secunda, Martinus à sancto Joseph in compend. facultatis, Confessor. verbo dispensare, numero tertia, & quarto, & alij, quos citavimus, & sequuti sumus sono secundo, tractatu decimo, de censuris, capite septimo, numero 63. Hanc assertionem probant plures ex his Authoribus hoc discursu. Quia irregularitas, quæ provenit ex delicto, vel est censura, ut plures satis probabiliter dicunt, quos dedimus tractatu decimo, de censuris, capite primo, numero undecimo, vel solum pœna Ecclesiastica, ut nos ibidem probavimus; quidquid horum dicatur, possunt Regulares illas omnes relaxare, quas possunt Episcopi, ob sua privilegia, illis concedentia quod ab omnibus censuris, & pœnis possint absolvere, ob quas non esset Sedes Apostolica consulenda, ut supra vidimus, & ex concessione Eugenij IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Jesuitis, constat: sed ob illas quas Episcopus jure Ordinatio potest relaxare, non est Sedes Apostolica consulenda: ergo in illis possunt dispensare Regulares. Hac ratione probant gravissimi Doctores posse confessarium per Bullam Cruciatam electum absolvere pœnitentes, ab omnibus irregularitatibus ex delicto provenientes: quia Bulla ad relaxandas omnes censuras, & pœnas concedit facultatem; & irregularitas, vel est censura, vel pœna: ergo &c.

Authores pro hac sententia abundanter dedimus loco citato, de censuris, capite septimo, num. 65. ¶ Sed nos oppositum ibi sequuti sumus, & nunc sequimur: circa fundamentum istius rationis quia irregularitas non est censura; & esto sit pœna Ecclesiastica, quando provenit ex delicto; nihilominus secundum stylum Curie Romanæ, in generalibus concessionibus absolventi ab omnibus pœnis, non conceditur facultas relaxandi irregularitatem, nisi de ea fiat expressa mentio, ut testantur Avila, Hentiquez, Antonius Gomez, quos ibi citavimus. Proinde cum stylus Curie Romanæ circa tales concessionibus, & Bullarum intelligentiam faciat jus, ut constat ex cap. ex litteris, de constitutionibus, cap. quam gravis, de crimine falsi, non videtur prædicta ratio evincere intentum.

138. Aliter ergo probanda est assertio: nimirum ex privilegio Bullato Sixti IV. Bulla 9. pro Minimis concessa, quam adducunt Lezana, Henriquez, Portell. locis citatis. & eandem postea confirmasse Julium II. Constitutione sua, quæ incipit, *Dum ad sacrum Ordinem Minimorum*, testatur Peyrin ad Constitur. 1. Julij II. §. 23. ubi confessarius illorum concedit facultatem ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, & super quacumque irregularitate ordinaria tam à jure, quam ab homine reservatis, totius, quoties opus fuerit absolventi, & dispensandi, ac vota quacumque permutandi, sicut potest Dixerunt, ¶ Nec obstat, quod aliqui obijciunt,

Præcedens assertio manifeste privi-legio probatur.

illa facultate Minimos non uti: nam hoc temere dicitur, cum soli Deo sit notum. Ceterum siue utantur, siue non, per non usum non amittunt privilegium, maxime gratiosum, & non onerosum, quale est istud, ut *supra capite secundo, numero 13.* probavimus. Et posito, quod Minimi illo jam non possent uti, ratione non usus; alij tamen Regulares in eorum privilegiis participant, illo uti possunt: quia non participant in privilegiis eorum quoad non usum; nam non usus, privilegium non est: sed participant in jure illis utendi. ¶ Nec similiter obstat, quod alij dicunt hoc privilegium tantum valere pro Prælati, qui tantum illa facultate uti possunt: quoniam cum absolutum existat, non debet ad Prælatos restringi; nec debet distinctio fieri, ubi jus non distinguit. ¶ Denique non obstat, quod dicit Portell. & alij supra relati, quod licet confessariis sit hoc privilegium concessum, nihilominus non esset consulendum ut illo utantur, eò quod non constet ullum Regularem usum fuisse illa facultate: nam hæc cautela nimis est scrupulosa: non enim usus hujus privilegij est publicus, sed admodum secretus, ut potè ad solum Sacramentum Pœnitentiæ restrictus, de quo proinde an fuerit, vel non, solus Deus potest judicare. Facultatem concessam fuisse certo scimus, & tot gravissimos Do-

ctores vidimus, qui idem asserunt, & nemo est qui adstruat eam fuisse revocatam: cur igitur illa uti non possent Regulares, sicuti in sententia probabili possunt omnes confessarii à talibus absolvere virtute Bullæ Cruciatæ? nec enim invenimus in hoc minora inconvenientia, quam in usu hujus indulti: sed si fecerit, & cū debita cautela fiat, asserunt plerique Authores licere & valere in illò casu, ergo etiam licebit & valebit in nostro.

139. Denique possunt Regulares cum sæcularibus dispensare in omnibus pœnis Ecclesiasticis, dummodo sint occultæ, & extra Bullam Cœnæ in alijs Bullis aut Constitutionibus siue Decretis contentæ, ut sunt inhabilitates ad officia, beneficia, promotiones dignitatis, vocis, loci, &c. ut constat ex privilegio Eugenij IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis, in quibus conceditur facultas absolvendi à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & sententijs, censuris, & alijs pœnis, Ecclesiasticis ex eis resultantibus extra Bullam Cœnæ. *ita Fragoso libro secundo, cap. 2. dist. 24. §. 7. Cruz lib. 2. cap. 6. dub. 6. conclusion. secunda, Lezana in mari magno Eremit. S. Aug. §. 47. n. 124. Urbanus tract. 2. dist. 2. c. 6. regul. 1. §. pag. 390. Bruno tract. 5. c. 4. proposit. 1. Antonius à Spiritu S. tract. 2. dist. 3. sect. 2. n. 76.*

## PUNCTUM III.

De privilegiis Regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & Missæ celebrationem remissivè.

Acta alibi recensentur.

140. **H**ic proprius locus erat agendi de iis quæ in titulo huius puncti proponuntur, nam postquam à nobis actum est de Regulariū privilegiis circa administrationē Sacramenti Pœnitentiæ, meritò de his agendum esset; Sed quia de his actum est à nobis in diversis locis, in præsentiarum ea prætermittimus: de singulis enim Sacramentis, & de eorum ministris agentes, diximus qualiter ea administrare possint Regulares, & in quibus casibus; & idem argumentum pertractavimus aliis locis per totum istum Cursum dispersis. De Missæ celebratione, quo loco, tempore, &c. possint ex privilegiis Regulares illi intendere, *suprà tract. 15. capite septimo, punct. 4. per totum* egimus: ubi specialiter n. 98. diximus, qualiter in domibus secularium possint altare erigere, & ibi Missas celebrare, & qualiter hoc non sit contra decretum Concilij Tridentini *sess. 22. de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* Porro de prohibitione facta Regularibus, quoad multiplex stipendium non recipiendum pro eadem Missa, latè egimus *dicto Capite punct. 5. per totum.* Quare hæc modò prætermittimus,

## PUNCTUM IV.

De privilegiis, & obligationibus Concionatorum Regularium.

141. **P**Rædicandi facultas Regularibus non ab Episcopis Diœcesanis, sed à Pontifice conceditur: Et licet post Tridentinum licentia obtenta ab Ordinario requiratur pro concionibus habendis in Ecclesiis non suis, & in propriis Ecclesiis petenda sit benedictio Ordinarij; nihilominus tamen id non requiritur tanquam actus dantis jurisdictionem, aut facultatem, sed ut conditio requisita, ut potestas à Pontifice accepta, debite executioni mandetur. Hanc ergo Sedes Apostolica imperita est per diversa privilegia Regularibus communicata, ut est illud Clementis IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, & Pauli III. pro PP. Societatis, in quibus conceditur, ut in quibusvis locis, Ecclesiis, aut plateis communibus, & viis publicis, & ubicumque locorum, verbum Dei Clero, & populo prædicare possint. Ad hoc autem non requiritur, quod sint in Ordinibus sacris constituti: sufficit enim si Clerici sint, prima tonsura initiati, ut constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Vigore privilegij*, pro Societate Jesu expedita, illis verbis: *Præsentium Autoritate declaramus, ac etiam decerni-*

Nonrequiritur sacer ordo in prædicantibus ad concionandum.



munus vestrum unumquemque, etiam ad sacros Ordinis non promotum, prædicationis munus exercere potuisse, & posse. Porro indultum istud potius est juris communis interpretatio, per quod Clericis sola tonsura initiatis licet prædicare; ut declaravi sacra Congregatio his verbis: Munus prædicationis committi potest etiam Clerico, qui non sit in sacro Ordine constitutus; non enim alicujus Ordinis sacri videtur actus esse, neque officium divinum interdicto, aut suspensione, à divinis prohibitum: itaque sic docent Portel. verbo prædicare, num. 16. Diana tract. 4. de Sacrament. resolutione 137. Pellizzar. tomo secund. tractatu 8. capite 4. sect. 1. num. 28. Antonius à Spiritu sancto tractat. 2. disputatione 3. sect. 5. numer. 150. Bruno Cassaing. tractat. 6. cap. 2. propos. 2.

Ad quid Prædicatores ex Concilio Tridentino, & Lateranensi teneantur.

142. Quamvis tam jus commune in Extravagant. inter cunctas, de privileg. & Clement. Dudum, de sepultur. quam alia privilegia concedunt, ut possint Regulares in suis Ecclesiis, & plateis prædicare, nulla facta mentione præsentationis eorum coram Episcopo aut ad Episcopum recursus pro petenda benedictione vel licentia; modo tamen post Concilium Tridentinum observanda est, quod ipsum decernit sess. 5. cap. 2. his verbis: Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possunt: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare,

& ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero quæ suorum Ordinum non sunt, ul. ra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum null. modo prædicare possunt. Quod decretum concordat cum alio Concilii Lateranensis sub Leone X. sess. 11. ib: *U. Regularis præcedente examine ad munus à suo Prælatu electus, quocumque postea prædicaturus accesserit de eodem examine, & idoneitate sua per litteras Authenticas, seu alias sui examinatoris, & approbatoris, Episcopis, & aliis locorum Ordinarii fidem legitimam faciat.*

143. Ex quibus decretis primo constat non posse Religiosos sive in propriis, sive in alienis Ecclesiis populo prædicare, etiam si alias ab Episcopo licentiam obtinuerint, nisi prius fuerint à suis Superioribus de doctrina, & moribus examinati, & approbati, ab eisque licentiam habuerint; & peccare mortaliter eum, qui absque dicta approbatione, & licentia Superiorum (illorum videlicet ad quos secundum statuta Ordinis pertinet talem licentiam concedere, quales apud nos sunt RR. PP. NN. Generalis, & Provincialis) ausus fuerit munus prædicationis in propriis, vel alienis Ecclesiis exercere: quia in re gravissima contra præceptum Ecclesiæ adeo sanctum operatur; atque etiam quia causam præbet damnorum & scandalorum quæ ex simili audacia ex natura rei oriri possunt. Et ita tenent Navarrus in Manual. c. 27. n. 121.

Lezana

Peccant mortaliter Regulares, qui absque approbatione Prælatorum prædicant.

Lezana tom. 1. part. 1. cap. 20. num. 1. Bordon. tom. 2. resol. 7. nu. 27. Portell. numero 1. Peyr. tom. 3. cap. 2. num. 16. Antonius à Spiritu sancto num. 141. Imo incurrere excommunicationem reservatam Pontifici docent Zerol. in praxi verb. Mendicantes, numero 2. part. 1. Reginald. lib. 18. numero 119. Lezana loco cit. ex Leone X. in Concil. Lateran: Sed certe ibi imponitur talis excommunicatio pro alio casu diverso, ideoq; melius probatur assertum ex 6. excommunicamus, de hares. in quo puniuntur prædicatores Excommunicatione, si incidant in casum de quo agimus. Cæterum tamen, cum illa excommunicatio non sit lætæ sententiæ, sed ferendæ, excommunicati ipso factò non remanent. Portell. Bordon. locis citas. ¶ Peccant etiam mortaliter Prælati, qui subditos non idoneos, aut non examinatos de vita, moribus, & scientia, prædicare permittunt, ob decreta Tridentini, & Lateranensis, & ob alia inconvenientia, & incommoda scandalosa, quæ inde sequi timentur. Peyrin. de subdito, quæst. 1. de obediens. cap. 22. Lezana numero 1. Antonius à Spiritu sancto num. 141.

Debent prædicatores Episcopis præsentari, & ab eis benedictionem vel licentiam petere.

144. Sequitur secundo, non posse Religiosos prædicare, nisi præter examen, approbationem, & licentiam suorum Superiorum, cum tali licentia, & examine coram Episcopo se præsentaverint, & ab eo benedictionem petierint ad prædicationem in suis Ecclesijs, & pro concionando in alienis insuper licentiam impetrauerint, ut constat ex dictò Concilii

decreto. Usus tamen obtinuit, inquit Bordon. resolut. 7. numero 15. apud Regulares, ut concionentur in proprijs Ecclesijs absque aliqua Episcopi benedictione, quam solum petunt pro Adventu, & Quadragesima, & non pro alijs festiuitatibus intra annum. Quod probat Pellizzarius supra numero 16. dicens in hoc standum esse consuetudini. ¶ Interea non approbamus, quod dicit Cespedes de exemption. cap. 10. disputatione 205. numero secundo, Tamburin. tom. 2. disputatione 11. quæstione secunda, numero quinto, quod Regulares, ut prædicent in Ecclesijs aliorum Ordinum, solum indigeant petere benedictionem Episcoporum ut requiritur, & sufficit ad hoc ut possint concionari in proprijs: quia non minus sunt exemptæ illæ à jurisdictione Episcoporum, quam suæ; proinde sicut ad concionandum in suis, ob istam rationem non indigent nisi benedictione Episcopi, ita neque ad concionandum in Ecclesijs aliorum Ordinum aliò indigent quam benedictione Episcopi. Hæc autem non videntur verbis Tridentini conformia: nam semel dicit: In Ecclesijs autem, qua suorum Ordinum non sunt: & iterum: Episcopi licentiam habere teneantur sine qua in Ecclesijs non suorum Ordinum nullo modo prædicare possunt. Quæ cum dicta sententia non cohærent. ¶ Illud tamen verum iudicamus, quod docent N. Lezana cap. 20. numero 5. Miranda tom. 1. quæstio. 650. artic. 4. Antonius à Spiritu sancto numero 147. Pellizzar. numero 32. quod ad prædicandum in plateis, &

M m m m in

in viis publicis nec presentatio coram Episcopo, nec licentia illius requiritur. Et ratio est: quia hoc ex privilegiis suis facere possunt sine dependentia ab Episcopis, ut concessit Sixtus IV. Carmelitis, Bonifac. IX. Prædicatoribus, Paulus III. Jesuitis. Quæ privilegia abrogata non sunt à Concilio Tridentino: quia ex illo solum habetur, non posse sine benedictione, aut licentia Episcoporum prædicare in suis, aut alienis Ecclesiis.

In propriis Ecclesiis possunt Regulares concionari petita, licet non obtenta benedictione Episcopi

145. Imo ad prædicandum in propriis Ecclesiis, sufficit sola petitio benedictionis Episcopalis, etiam si eis denegetur, (per benedictionem intelligo licentiam, sicut etiam in Religionibus per benedictionem, quæ à Prælato peti & accipi solet ad aliquid faciendum, licentiam intelligimus; hoc tamen nomine non intelligo illam benedictionem, quæ inter Misfarum solemnia ad prædicandum ab Episcopo, vel eo absente, à Sacerdote celebrante recipitur; quæ non est licentia concessio, sed quædam divini auxilii deprecatio, ut verbum Dei fructuose disseminetur) quia Concilium ponit hoc discrimen inter requisita ad prædicandum in propriis Ecclesiis, & ad prædicandum in alienis; quod ad illud sufficit petitio benedictionis; ad istud vero requiratur quod licentia ab Episcopo obtineatur: Ergo hoc ipso, quod Regularis Episcopo presentetur, & benedictionem petat, sive is deinde justè, sive in-

justè denegetur, adimplet Regularis id quod à Concilio exigitur; & sic poterit in suis Ecclesiis concionari: maxime quia quando in jure requiritur non solum quod benedictio, aut licentia petatur, sed quod obtineatur; id exprimitur *cap. omnis utriusque sexus, de penitentibus, & remissionibus. cap. super cathedram, extravag. de sepultur.* Sic Lezana numero tertio, Pellizzar. numero secundo & 5. Bordon, resolut. 7. numero 21. Henriquez libro sexto, de Penitent. capite 13. numero 4. Bruno tractatu 6. cap. 3. propos. 1. de Peyrino de subdito tom. 1. questione prima, cap. 22. Antonius à Spiritu sancto numero 143. & hoc etiam constat ex declaratione S. Congregationis Cardinalium anno 1597. quam refert Henriquez, & alii; est que tenoris sequentis: *Sacra Congregatio censuit, quod Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere; sed tantum à suis Superioribus examinari, Episcopo personaliter se presentare, ab eoque petere benedictionem, tametsi eam minime obtinuerint.* ¶ Quod apud me locum habet etiam si benedictio, aut licentia ex justa causa, & non ex passione, aut malevolentia negata sit: quia si ex odio, aut alio pravo affectu Episcopus licentiam denegaret, etiam in Ecclesiis non sui Ordinis posset Regularis, qui illi se humiliter presentavit, & ab eo benedictionem, & licentiam petivit, prædicare, tamen si Concilium exigat ab Episcopo licentiam obti-

obtinere debere: quia petita licentia, & injustè negata, in iure habetur pro obtenta, ut inquit Tamburinus *tomo secundo, disputat. 19. quest. 2.* Lezana *numero tertio, Pellizzar. numero secundo; Quemadmodum supra num. 63.* diximus de Confessariis, quibus Episcopus ex malevolentia approbationem denegaret, quod possint nihilominus sæcularium Confessiones audire; quia approbatio petita, & injustè negata, habetur pro concessa.

Etiam prædicante Episcopo, possunt regulares concionari.

146. Præterea etiam prædicante Episcopo possunt Regulares suo munere prædicationis uti; dummodo nec ipse prohibeat illa hora prædicare, nec sit consuetudine oppositum receptum, aut aliunde constet talem concionem Episcopo displicere: quia licet in *Clement. Dudum, & Extravaganti. Inter cunctas*, illis concedatur facultas concionandi, *Hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari*, in alijs nihilominus privilegii id non specialiter excipitur: uti videre est in illo Pauli III. pro Jesuitis, in quo pro omni loco, & tempore, nulla exceptione facta, facultas concionandi conceditur, & ideo etiam ita docent Suarez *tomo quarto, libro nono, capite primo, num. 30.* Pellizzar. *tractatu 8. capite quarto, section. 1. numero 35.* Lezana *cap. 20. numero sexto.* Antonius à Spiritu sancto *numero 149.* Possunt quoque in Diœcesibus ubi licentiam Episcopi

habent, in Ecclesijs Parochialibus concionandi, etiam contradicentibus Parochis, suum munus exercere. Tum: quia jam habent ab Episcopo facultatem, qui Superior Parochis est: Tum etiam: quia ita concessit Alexander IV. Minoribus, & Prædicatoribus Ballato privilegio, quod postea confirmavit Sixtus IV. pro Carmelitis, ut videre est apud Casarub. *verbo Prædicatores, numero 4. 12. & 14.* in quo quamvis dicatur: *Absque tamen Parochialium præjudicio;* non extenditur tamen id ad hoc punctum in quo nullum præjudicium infertur Parochis, sed tantum ad punctum concernens alia ibidem relata. Maxime: quia ipsi jus non habent impediendi prædicationem in suis Ecclesijs, dum proprius eorum Episcopus licentiam ad eam concessit. ¶ Nec obstat, quod in *Clement. Dudum, & Extravaganti. Super Cathedram, de sepultur. & Extravaganti. Inter cunctas, de privilegio*, dicitur, quod in Ecclesijs alienis non potest Regularis prædicare sine beneplacito, aut licentia Rectoris aut Superiorum illarum Ecclesiarum. Respondetur: quod qui ab Episcopo habent facultatem, jam habent beneplacitum Superiorum illarum Ecclesiarum. Accedit quod aliqui dicant, prædicta jura revocata esse per Alexandrum IV. cujus verba refert Casarub. supra, & sunt ista: *Alexander IV. concessit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Mino-*  
Mimmm 2 rurs

norum possint predicare populis de licentia Romani Pontificis, aut Legatorum ejus, vel Diocesani, seu Ordinarii absque aliorum inferiorum Pralatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu. Expediens tamen non erit iis privilegiis uti, repugnantibus Patrochiis, ne jurgia, & scandala orientur, & fructus ex verbi Dei predicatione exoptatus atrescat. Pellizzar. supra n. 33. Miranda in Manual. 1. parte, quest. 50. art. 4.

Status majoris difficultatis proponitur.

147. Major autem, & gravior est difficultas, an repugnante, & contradicente Episcopo, possint Regulares in propriis, vel alienis Ecclesiis predicare? Quæ difficultas (ut reor) præcipuè currit, in casu quò benedictionem, vel licentiam Episcopi acceperit & iste nihilominus se retrahens predicationi Regularis resistit. Nam si ab initio cum primò Regularis Episcopo presentatur, ipse contradicit, certum est non posse in alienis Ecclesiis predicare; cum Concilium petat, quod ab eo non solum licentiam petat, sed quod illam obtineat; nisi forte illam injustè, & ex malo affectu neget: quia jam ut diximus, habetur pro obtenta. In hoc ergo casu procedit quæstio: an nimirum, si quando Regularis presentatus fuit Episcopo, & postquam ab Episcopo recepit licentiam ad predicandum in Ecclesiis non suis, Episcopus ob particulares rationes contradicat, ne predicet in eis, possit nihilominus predicare? certè semper erit melius à predicatione abstinere, ne ex tali

predicatione, resistente Prælate, maxima inconvenientia consurgant. Sed aliud est inquirere, quid melius, & convenientius erit, ad præcavenda incommoda, & scandala; aliud quid ex jure habeatur & de hoc inquiremus.

148. Igitur respondemus affirmativè. Et probatur sic: quia ex jure communi Clementin. Dudum, de sepulchris. & Extravag. super cathedram, eodem titulo. & Extravaganti Inter cunctas, Regularibus conceditur facultas ubique sive in propriis, sive in alienis Ecclesiis predicandi independentes ab Episcopis, & solum in duobus casibus ponitur ab illis dependere; ita quod si contradicant, non possint predicare. Primo: quando Episcopus predicare vult. Secundo: quando vult coram se facere solemniter predicare: ergo in aliis casibus præter istos, poterit ex his juribus, adhuc contradicente Episcopo predicare. Quæ jura per Tridentinum minime revocantur: quia ab illo solum petitio benedictionis pro predicatione in Ecclesiis propriis exigitur. Et ut diximus, etiam si negetur, poterit Regularis predicare; & multo magis, si post benedictionem datam resistat: insuper requiritur quod pro alienis licentiam recipiat: qua semel data, quod Tridentinum præcipit, impletur. Nec dicit, quod si postea Episcopus neget, aut contradicat, Regularis non possit predicare: sed prædictis positis relinquit illum juri communi, secundum quod solum in duobus casibus dictis, contradi-

Eriam repugnante Episcopo possunt Regulares predicare.

tradente Episcopo nequit prædicare, non in aliis: quin potius exceptio firmat regulam in contrarium. Ita Peyrin. tom. 3. privil. cap. 2. nu. 9. Pellizzar. supra num. 4. Barbof. de offic. & potest. Episc. part. 3. allegatione 73. num. 16. & ad caput 2. Concilij sess. 5. num. 18. & 19. ubi refert ita decisum fuisse à Sac. Congregatione 30. Junii anno 1629. Bordon. tom. 2. resolut. 7. num. 15. Villalob. tom. 2. tract. 25. difficult. 5. num. 4. Miranda tom. 1. quest. 50. art. 3. concl. 1. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 58. Vega in Summ. tom. 2. cap. 86. casu 40. Rodriguez tom. 3. quest. 32. art. 5. Reginald. lib. 18. num. 123.

Objectiono difficultis proponitur, & illius solutio.

149. Sed contra hoc assertum militat difficultis obiectio, ex eo quod Tridentinum sess. 24. cap. 4. dicit: Nullus autem secularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. & Gregorius XV. in Constitutione, quæ incipit: Inscrutabili, dicit: ac demum habeat Episcopus tanquam dicta Sedis delegatus auctoritatē coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesia sua, aut suorum Ordinum, non petiti à illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. ¶ Verum ad istam objectionem responderetur, quantum attinet ad Constitutionem istam Gregorii XV. suspensam fuisse pro Regnis Hispaniæ ejus publicationem, ut docet Lezana tom. 1. part. 1. cap. 19. num. 35. & cap. 20. num. 3. etiam ubi

viget, contra assertionem dictam vim non habet: quia tam Constitutio Gregoriana, quam decretum Tridentini, loquuntur in eodem sensu, ac in eisdem casibus conformiter ad jus commune. Unde quia in illo decretum erat, quod quando Episcopus prædicat, vel coram se vult facere solemniter prædicari, ipso contradicente Regulares non audeant nec in propriis, nec in alienis Ecclesiis prædicare: hoc ipsum præcipit Concilium, ut S. Congregatio apud Barbof. explicuit. Nec enim per illa verba intendit Concilium revocare jus commune, cum nulla in eo decreto detur clausula revocatoria illius; sed se illi vult conformare, & innovare per suum decretum, quod jus commune antiquum, & fortè antiquatum decreverat. Totum enim illud caput exhortatorium est ad Episcopos, ut vel ipsi populo verbum Dei frequenter prædicent, vel si non poterint, faciant alios coram se prædicare. Et statim addit verba proposita, in quibus conformiter ad jus antiquum præcipit, ne Regulares audeant contradicente Episcopo prædicare; utique in casibus, in quibus ex jure illo contradicente prædicare non possent, ut sic jura jurebus consonent, & concordentur, ut dicitur in cap. Ecclesia vestra, 2. de electionibus.

150. Poterat enim verò hinc circa prædicta dubitari primò, An Episcopus Regulares semel præsentatos, aut ab eo licentiâ concionandi ademptos possit cogere, ut iterum præsententur, vel concionandi licentias Eis

Aliquæ difficultates alibi decisæ attinguntur.

M m m m 3 datas

datas possit suspendere? & Secundo, An Regularis presentatus, aut licentiatas pro una Diocesi possit in quacumque Diocesi concionari? Verum quia quoad hanc Confessarii, & Concionatores purificantur ab omnibus, quod supra diximus circa Confessores, idcirco idem sentendum esse de Prædicatoribus iudicamus. Neque his discutiendis ultra immoramur, sicut nec examini opinionis asserentis quod Confessor, aut Prædicator semel ab uno Episcopo approbatus ubique suum munus exercere potest; sed independenter ab istis aliam quaestionem resolvemus, quæ solet apud nos multoties excitari, quæque Prioribus parum peritis harum materiarum magnum negotium facessivit: An nimirum Concionator, qui ab Episcopo Salmantino v. g. licentiam obtinuit concionandi, si ab oppidanis alicujus loci, Diocesis v. g. Abulensis, Segovienensis, Zamorensis, aut Vallisoletanæ, quæ sunt illi confines, pro aliqua, vel aliquibus concionibus vocetur, possit in illo loco extra Diocesim Salmantinam concionari, non obrentâ prius licentiâ ab Episcopo loci, in quo prædicaturus est?

Casus  
frequen-  
ter oc-  
currens  
resolvi-  
tur.

151. Ad hoc igitur quaesitum respondetur affirmativè. Et hoc ex triplici capite. Primò: quia licet in alienis Ecclesiis absque Episcopi licentia nullus concionari possit, etiam à parochia invitatus, ut declaravit Clemens VIII. apud Barbos. *ad casum 4. Concilij Tridentini sessionis 24. num. 7.* potest tamen Parochus dare licentiam viro docto, & Religioso,

ut bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione, ut docent Diana 3. *part. tract. 2. resolut. 111.* & 4. *part. tract. 4. resolut. 21.* Bordon. *tom. 2. resolut. 7. num. 24.* Rodriguez. *tom. 3. quest. 32. art. 1.* Barbosa *num. 9.* Navarr. *in Manual. cap. 15. num. 241.* Henriquez *lib. 7. de Indalgent. cap. 16.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regul. tract. 2. d. sp. 3. sect. 5. num. 145.* ¶ Secundo: quia licet Regulares semel approbati ab uno Episcopo non possint ex hoc ipso ubique locorum permanenter extra propriam Diocesim prædicare; nihilominus quando sunt transeuntes per aliquem locum, & in itinere verè constituti, possunt in quocunque loco prædicare (sicuti de Confessoribus diximus supra) non contradicente proprio Parochia, & non existente in eodem loco Episcopo, ex concessione Gregorii XIII. facta Societati Jesu, quæ per communicationem frui possunt alii Religiosi. Villalobos *tom. 2. tract. 35. difficultate 5. num. 2.* Joannes dela Cruz *de statu Religios. lib. 1. cap. 6. dub. 2. conclus. 3.* Miranda *art. 4. conclus. 1.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. allegat. 76. num. 26. & 27.* Antonius à Spiritu sancto *num. 156.* Diana 3. *part. tract. 2. resolut. 111.* Religiosi autem extra locum sui domicilii semper sunt quasi in itinere. Et sic ex hoc capite in dictis locis quamdiu ad illam Diocesim domicilium non mutaverint, prædicare poterunt. ¶ Tertio: quia juxta multorum sententiam, Episcopus, à quo debet vel Confessarius approbati, vel prædicator licentiam acci-

accipere, est Episcopus ipsius religio-  
si, seu illius Diocesis, in qua ipse habet  
domicilium : & sic quando domici-  
limum non mutaverit, quodcumque  
pergat, secum affert sufficientem li-  
centiam, & approbationem, ut ubi-  
libet, ubi tanquam advena, & hospes  
existit, possit confessiones audire, &  
verbum Dei prædicare. Ita plures,  
quos refert, & sequitur Dicastillo de  
*Pœnitent. disput. 10. num. 245.* Tan-  
credo tract. 1. disp. 2. quest. 52. Can-  
didus *disquisiti. 24. art. 6. dub. 8.* Tho-  
mas Hurtado *tom. 2. tract. 12. cap. 1.*  
*dub. 62. num. 2047.* Antonius à Spi-  
ritu sancto in *Director. Confess. tom. 1.*  
*tract. 5. disp. 13. sect. 6. num. 867.* Bas-  
sæus *verb. Confessarius. 3. num. 9.* &  
alii, quos refert, & eorum sententiam  
ut probabilem sequitur Diana 1. par.  
*tract. 11. resolut. 7. & part. 5. tract. 12.*  
*resolut. 53. & part. 3. tract. 4. reso-*  
*lut. 110.*

Nequeunt Episcopi Regulares examinare, qui  
Regulares illorum licentiam ad prædicandum  
res con- in alienis Ecclesiis postulant, & isti  
cionato- examini Episcoporum se subicere  
res exa- teneantur? Aliqui affirmant his du-  
minare; & rationibus : quia sic declaratum  
sed hoc fuisse à S. Congregatione Cardina-  
pertinet lium 22. Januarii, anno 1628. testan-  
ad eorū tur Barbol. *ad caput 2. sessionis 5. Con-*  
Præla- *cilij Tridentini, num. 20.* Diana 4. par.  
tos. *tract. 4. resolut. 22.* in qua dicit : *Posse*  
*Episcopos examinare Regulares prædi-*  
*caturus in Ecclesiis suorum Ordinum.*  
Tum etiam : quia ut Regulares pos-  
sint prædicare in Ecclesiis non suis,  
requiritur licentia Ordinarii non so-  
lum petita, sed obrita : sed hanc ne-

quit Episcopus prudenter dare, nisi  
examinet Ministrum, ut ei constet de  
ejus sufficientia : ergo, &c. Tum  
denique : quia ita habet plurimorum  
praxis Episcoporum, qui volunt Re-  
gulares examinare prædicaturos in  
alienis Ecclesiis, licet sint à suis Præ-  
latis approbati.

153. Sed dicendum est non pos-  
se Episcopos, Regulares examinare,  
nec approbare ad prædicandum in  
Ecclesiis etiam non suis ; sed hoc ad  
eorum Prælatos spectare, & ad Epi-  
scopos pertinere tantum videre, an  
verè approbationem idoneitatis à  
Prælati habeant, & hæc exhibitâ si-  
ne alio examine eis licentiam debere  
impertiri. Hoc assertum probatur  
primò, ex Constitutione Leonis X.  
relata in Bullario *tom. 1.* in Concilio  
Lateranensi edita, quæ incipit : *Su-*  
*prema Majestatis præsidio,* in qua sic  
dicitur : *Sacro approbante Concilio sta-*  
*tuimus, & ordinamus, ne nullus tam Cle-*  
*ricus secularis, quam uniuscujusque*  
*etiam Mendicantium Ordinis Regula-*  
*ris, aut quivis alius, ad quem facultas*  
*prædicandi tam de jure, quam de con-*  
*suetudine, aut privilegio, aut alias per-*  
*tinet, ad hujusmodi officium exercen-*  
*dum, admittatur, nisi prius per Supe-*  
*riorem suum respectivè diligenter fue-*  
*rit examinatus :* ubi illa verba : *per*  
*Superiorem respectivè,* insinuant,  
quod Religiosi à suis Prælati, sæcu-  
lares ab Ordinariis examinari de-  
beant ; & pròinde illi ab Episcopo  
non sunt examinandi. Hoc ipsum  
magis explicuit sequentibus verbis  
idem Pontifex : *Quodcumque prædica-*  
*turus accesserit de hujusmodi examine,*  
*& idem*



Et idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatorii, approbatorisque, Episcopi, & aliorum locorum Ordinarius fidem legitime faciat. Non ergo Episcopus est legitimus examinatus Regularium, sed proprii Regularium Superioris examini stare debet, si licentiandus de tuo examine & idoneitate per litteras authenticas fidem faciat. ¶ Secundò: quia Concilium Tridentinum *cap. 2. sess. 4. de reformatione*, verbis supra relatis insistendo hoc disponit: quòd Regularis prædicare intendens à Superiore suo de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus, cum obtenta ab eo licentia, & fide examinis personaliter se coram Episcopo præsentare debeat, & ab eo benedictionem petere, si in Ecclesia sui Ordinis concionari velit. Quòd si in aliena, quæ sui Ordinis non sit, concionari velit ultra licentiam sui Superioris, etiam Episcopi licentiam habere teneatur: ergò vult, quòd examen non ab Episcopo fiat; sed à Superiore Regulari. ¶ Et hoc ipsum confirmari potest: nam quando Concilium vult Episcopis potestatem supra Regulares concedere, id exprimit, ut fecit *sess. 23. cap. 15. ubi agens de Confessoribus secularibus*, addit, nullus etiam Regularis ad id idoneus reputetur, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Episcopis obtineat per examen, &c. hic enim examen & licentiam ad Episcopos pertinere declarat, in nostro casu examen ad Prælatos spectare, & ad Episcopos licentiam concedere: non ergò tenentur se subji-

cere Concionatores Regulares examini Episcoporum. Sic porò docent Diana *3. part. tract. 2. resol. 111. & 4. part. tract. 4. resol. 22.* Bruno Cassaigh *tract. 6. cap. 2. proposit. 3.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3. sect. 4. num. 15.* Hieronymus Rodriguez in *Compendio questionum Regularium, resol. 112. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 4. sect. 1. num. 22.* Bordon. *tom. 2. resol. 7. nu. 6.* Barbol. *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 75. num. 23.* Miranda *tom. 1. qu. 50. art. 2.* Pey. in. *tom. 3. privileg. cap. 2. num. 10.* Campanil. *Rubric. 12. Gelped. de exempt. disp. 194. num. 3.*

154. Nec in oppositum objecta urgent: nam ad secundum dicimus, quòd hoc ipso quòd Episcopis de examine, & licentia Superiorum fides sit facienda; jam ipsi constare potest de sufficientia ministri, & prudentissimè licentiam conferet, stando Prælatorum approbationi, ad quos examen de jure, & privilegijs pertinet. Et si oppositum ex praxi habeatur (quòd tertia probatio dicit) hoc idè est, quia ad dicta jura aliqui Episcopi non attendentes, fallacem nituntur mittere in messem alienam, & plus juris usurpant, quàm ipsis à Concilijs permittitur, sibi que Regulares subijcere, & eos humiliare contendunt. Quibus ipsi obtemperantes rectè faciunt, se humiliando, & Dominis Episcopis morem gerendo, ad evitanda majora incommoda: Nec ob id perdunt sua jura, aut privilegia. Declaratio autem Cardinalium, quæ in prima objectione adducitur, vel non est authentica, ut

inquit

Objecta  
in oppo-  
situm  
diluuntur.

inquit Peyrin. vel esto authentica sit, loquitur secundum id, quod de facto practicitur; non secundum id, quod de jure habetur, ut explicat Bordonus. Sed melius cum Pellizzario dicitur, quod simplex declaratio Sac. Congregationis non debet praferri Constitutioni gravissimae Leonis X. in Concilio Lateranensi editae, & in Concilio Trident. confirmatae, maxime cum non contineat eorum expressam revocationem, quod ad derogandum Constitutionibus Conciliorum Generalium necessarium erat: istiusmodi autem declarationes (inquit Pellizzar.) faciunt solum opinionem probabilem, quae non tollit probabilitatem oppositae sententiae, ut docet Granad. 2. 2. *controvers.* 11. *tract.* 1. §. *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 5.

Sex casus proponuntur, in quibus praedicatores ab Episcopis suspensi possunt a munere concionandi.

155. Inquitur secundò. An Praedicatores Regulares suspendi a praedicatione & puniri possint ab Ordinariis? Respondetur, sex casus in jure assignari, in quibus potest Episcopus suspendere praedicatores Regulares, eosque punire. Tres habentur in Concilio Lateranensi §. si b Leone X. in quibus a praedicatione esse ipso facto suspensos dicitur, his verbis: *Ut eorum exemplo alii attentare similia minimè audeant, cui praedicationis officium interdictum esse perpetuò decernimus.* Primus est: *si praedicet miracula falsa, aut incerta.* Secundus: *si praedicet prophetias, quae in sacra Scriptura fundamentum non habent, aut à Sede Apostolica non sunt approbatae; aut saltem ab Ordinario, ad hoc trium, aut quatuor virorum erudi-*

*torum examine adhibito, si tempus ad dictam Sedem accedere non permiserit.* Tertius: *si praedicando, Episcopus, vel suis Praelatis detrahant.* Qui etiam casus habentur in *Clement. Religiosi.* §. *Quibus etiam, de privilegiat. & excessib. privilegiat.* Porro hunc ultimum casum Glossa super hanc locum sic explicat: *Intelligo autem hanc litteram cum nominatim detrahunt, vel per circumloquutionem, qua vim habet proprii nominis; aliàs in genere bene licet praedicatori tangere viria Praelatorum: undè Dominus dixit super Cathedram, &c.* Alii tres casus ex Tridentino habentur *sess. 5. cap. 2.* in quibus Regularis ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicae delegato suspendi, & puniri potest. Primus: si praedicet propositiones erroneas. Secundus: si praedicet propositiones scandalosae. Tertius: si praedicet propositiones haereticas; ibi enim dicitur: *si verò (quod absit) praedicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis praedicet, Episcopus ei praedicationem interdicit. Quòd si haereses praedicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat.*

156. Ex his sequitur primò, extra praedictos casus non posse Episcopum Regularem praedicatorem suspendere, aut contra illum procedere: quia Religiosi ab eorum jurisdictione, & correctione exempti sunt: & sic contra illos procedere, nisi in casibus à jure eis concessis minimè possunt, ut diximus *suprà cap. praecedenti.*

N n n n

Extra praedictos casus nequit Episcopus Regulares praedicatores suspendere.

dent. Et tunc maximè verificatur axioma illud à Glossa in cap. Pastoralis, de appellationibus adductum: quod non invenitur in jure expressum, intelligitur esse prohibitum. Præsertim: quia Episcopi jure ordinario non possunt contra Regulares procedere, (cùm isti sint ab eorum jurisdictione exempti) sed tantùm ut Sedis Apostolicæ delegati: jurisdicção autem delegata ita restringi debet, ut non se extendat ad ea, quæ in commissione non exprimentur, ut probat Riccius decis. 124. num. 5. part. 1. Ergò Episcopi in aliis casibus præter prædictos à jure concessos, non poterunt Regulares perturbare: sed si excesserint, ad Eorum Prælatos disciplina & correctio pertinebit: ob idque in dicto capite à Concilio monentur Episcopi, his verbis: *Curent autem Episcopi ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justamvè de eis conquerendi occasionem habeat.* Quasi Concilium diceret: in tribus dictis casibus potest Episcopus Regularem à prædicatione suspendere; in aliis potest Regularis justè de illo conqueri, si ab ipso vexetur.

Non potest Episcopus Regularem absque ejus licentia prædicationem punire.

157. Sequitur secundo: quid dicendum sit ad illam quæstionem, an Regularis prædicans in propria Ecclesia, absque Episcopi petita benedictione; vel in aliena absque illius licentia obrenta, vel eo contradicente, sermonem ad populum habens, in casibus, in quibus diximus, eo contradicente non posse munus prædicationis exercere, possit ab Episcopo

suspendi, aut alio modo puniri? Et quidem stante illà Constitutione Gregorii XV. quam supra diximus fuisse pro Hispania suspensam, ubi illa viget, nullum in hac parte debium relinquatur: quia in ea dicitur, quòd Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, vel suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut Episcopo contradicente, *prædicare presumpserint.* Sed hac præcisà Constitutione, quæ pro Regnis Hispaniæ non viget, aliud decrevit S. Congregatio anno 1602. cujus verba adducit Flavius Cherubin. in Compend. Bullar. tom. 2. sup. Bullam 41. Pij V. & sunt ista: *Eos, qui absque licentia Episcopi prædicaverint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tamen si decreto Concilij contra fecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantùm à suis Superioribus Regularibus.* Quod certè est valdè conforme juri communi: non enim ex eo, quòd detur potestas Episcopis aliquid prohibendi Regularibus, datur etiam facultas in calu inobedientiæ eos puniendi, uti sup. cap. preced. dicebamus. Et idèd in cap. Licet, de Officio Vicarij, Innocentius IV. sic loquitur: *Quòd in generali jurisdictione delegata, concessa ad mandata faciendâ, & causas ventilandas, non intelligitur concessa jurisdictione corrigendi, & puniendi excessum,*

nisi

nisi specialiter hoc committantur: et-  
gò in casibus, de quibus nunc loqui-  
mur, licet detur facultas Episcopis  
suprà Regulares, quia tamen illis non  
conceditur expressè jurisdicctio illos  
punire, si non debite paruerint;  
non poterit Episcopus illos punire,  
aut suspendere; sed hoc ad Eorum  
Prælatos Regulares pertinebit. Sic  
Magist. Joannes à Cruce lib. 1. cap. 7.  
dub. 2. conclus. 2. Bruno tract. 6. cap.  
4. propos. 1. Lezana tom. 2. p. 1. cap.  
20. n. 3. Antonius à Spiritu sancto in  
Director. Regul. tract. 2. disp. 3. sect. 4.  
num. 144.

Exhor- 158. Cæterum loquendo de iis,  
ta: oria ad quæ prædicatores tenentur, mo-  
Concilii ner Concilium Trident. sess. 5. cap. 2.  
Trid. & vs plebes pro sua, & eorum capacitate  
Latera- pascant salutaribus verbis, docendo ea,  
nens. ad qua scire omnibus necessarium est ad  
prædica- salutem, annuntiandoque eà cum bre-  
tores. vitate, & facilitate sermonis, vitia, qua  
eas declinare; & virtutes, quas seclari  
oportet, ut penam æternam evadere,  
& celestem gloriam consequi valeant.  
Deindè Concilium Lateranense sub  
Leone X. sess. 11. prohibet prædicatori-  
bus, ne de cætero in sermonibus suis  
publicis alia quæque futura constan-  
ter prædicent, nec illa ex Spiritu san-  
cto, aut divina revelatione se habuisse,  
affirmare audeant, aut alienas, &  
inanes divinationes asserere, aut alio  
modo tractare de eis præsumant: sed  
ex divinae vocis præcepto Evangelium  
omni creaturæ, cum vitiorum detest-  
atione, & virtutum commendatione  
enucleent, atque declarent; qua-  
propter ait: *Evangelicam veritatem,*

*& sacram Scripturam juxta declara-  
tionem, interpretationem, & amplia-  
tionem Doctorum, quos Ecclesia appro-  
bavit, aut in posterum recipiet, sata-  
gant prædicare.*

159. Debent etiam concionato-  
res Regulares in concionibus ad po-  
pulum uti Evangelis, & Epistolis,  
quæ leguntur à Clero sæculari ejus  
Ecclesiæ ubi degunt, uti decrevit sa-  
cra Congregatio Concil. apud Qua-  
rantam in Summ. Bullar. verb. privileg.  
Regular. ¶ Illisq; prohibitum est à S.  
Congregat. ut refert Gavantius verb.  
Concio sacra, n. 42. ne inter concio-  
nandum pauperes aliquos determi-  
natos commendent sine licentia Epi-  
scopi. ¶ Nec possunt Indulgentias  
non publicatas, vel non approbatas  
per Ordinatios locorum, prædicare,  
ut haberetur in Concilio Trid. sess. 21.  
cap. 9. Imò publicantes falsas indul-  
gentias, seu inditeretas, peccant om-  
nino mortaliter contra præceptum  
illis impositum, Cap. Religiosi, Cle-  
mentin. de privileg. ut docet Lezana  
tom. 1. p. 2. cap. 20. n. 17.

160. Præterea prædicantes mi-  
racula falsa peccant mortaliter, pro-  
pter præceptum sub excommunica-  
tione Papæ reservata impositum à  
Leone X. in Concilio Lateranensi  
sess. 11. quàmvis quoad excommu-  
nicationem non sit in usu, & quia  
committunt mendacium pernicio-  
sum: qui enim eas prædicant, quan-  
tum in se est, tollunt veritatem mi-  
raculorum fidei, & sunt causa, quòd  
veris miraculis fides non adhibeatur.  
Ita docent Bonacin. circa 8. præcept.

In quib⁹  
casibus  
peccent  
prædica-  
tores suū  
munus  
nō debi-  
tè exer-  
centes.

*Decalog. diff. 10. q. 1. p. 2. n. 7.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. diff. 3. sect. 4. nu. 153.* Secus autem dicendum est de illis, qui in concionibus falsum circa citationes proferunt, ut in numero, capitulo, nomine Authorum, loco unius alterum citando: quia tunc solum venialem culpam committunt; & mendacium cum non sit circa doctrinam, sed circa accidentia, non dicunt cum proximi præjudicio. *Cajetan. 2. 2. quest. 110. art. 4.* Azor *3. p. lib. 13. cap. 1. dub. 6.* ¶ Qui verò in concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum miscent, regulariter peccant venialiter: quia abutuntur munere suo, miscendo sacra profanis. *Cajetan. q. 164. art. 2.* Lezana *cap. 20. n. 16.* ¶ Et li-

cet *Cajetanus q. 64. art. 6.* & alii dicant, peccare mortaliter prædicatores in statu peccati mortalis concionantes; verius tamen est quod docent *Sorus in 4. dist. 1. q. 1. art. 6.* Medina *Cap. de Pœnit. tract. 1. qu. 5.* Lezana *num. 15.* tantum esse veniale, & tantum per accidens posse esse mortale; nimirum vel ratione scandali, si concionatoris peccatum publicum sit, vel quia inde fit, ut verbum Dei fiat contemptibile, & nullius estimationis. ¶ Et hæc de toto hoc prolixo nimis Tractatu dicta sufficiant, ad laudem omnipotentis Dei, & beatæ semper Virginis Mariæ de Monte Carmeli.



INDEX